



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. 9. Sententia Patris Suarez, ut ab ipso explicatur, refellitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

nandi non solum est futurum ab aeterno, sed actuale, & praesens, & id quod est actuale, & praesens, non potest actu esse, & actu constitui per constitutum futurum sicut v. g. hodie non potest actu constitui in esse praesentis Petrus per animam rationalem, quae actu non est praesens sed solum est futura, & erit postea: ergo decretum praedestinandi, quod actu fuit praesens ab aeterno non constituitur ab aeterno per respectum rationis.

366 Contra Patrem Vazq. peculiariter se se offerunt manifeste contradictiones: nam ipse aperte docet, ut videbimus *tract. de ente rationis* deum nullo modo cognoscere ens rationis, & ex alio capite docet, Deum cognoscere sua decreta libera, tum quia fides docet hoc, tum etiam quia evidens lumen naturae ipsum demonstrat, quis enim potest negare ipsum Deum cognoscere id ipsum, quod decernit; quomodo enim decerneret, aut quomodo amaret sine cognitione illius quod amat; nihil enim voluit quin praecognitum; aut quomodo revelaret multis praedestinationis mysterium, ut posse revelare docet Concilium Tridentinum, nisi ipse deus cognovisset praedestinationem quam revelaret, praecipue quia in hoc peioris conditionis esset Deus, quam homo.

367 Ex alia autem parte dicit, decretum liberum Dei constitui per ens rationis, sed non cognitis ultimis constitutivis rei non potest cognosci res constituta per illa; v. g. non cognito rationali, quod est ultimum constitutum hominis nullo modo potest cognosci homo, & non cognito esse à se, aut non perspecta intellectione purissima, nullo modo potest cognosci Deus; ratio est manifesta, quia praedicatum essentiale alicuius est illud ex propria definitione sine quo nec esse, nec intelligi potest res.

368 Sed respectus rationis per vos est formalissimum & ultimum per se constitutum actus liberi essentialiter: ergo non cognito tali respectu rationis à Deo, nullo modo potest cognosci ab ipso actus liber; atqui ex alio capite per vos cognoscitur, & comprehenditur à Deo: ergo per vos actus liber cognoscitur, & non cognoscitur ab ipso quae sunt manifestae contradictiones.

SECTIO IX.

Sententia Patris Suarez, ut ab ipso explicatur, refellitur.

369 PRIMO, & in memoriam revoco id, quod P. Suarez docet, ut patet ex verbis ipsius adductis supra, dum eius sententiam in medium proculimus, videlicet, actum liberum Dei, esse contingentem & posse abesse, & adesse, non quoad esse, & entitatem, sed solum quoad terminationem in quo discrimen ponit inter actum liberum creatum, & divinum, quia actus liber creatus quoad esse est contingens, quoad terminari vero non. Deinde docet P. Suarez, terminationem illam constituere formalissime actum liberum Dei, quia actus liber dei formalissime debet habere indifferentiam ad volendum & non volendum: quia Deus ita amat, ut poterit non amare. Quibus positis sic argumentor.

370 Quia vel illa terminatio per quam constituitur actus divinus in esse liberi intrinsece, & formaliter, est ipsum esse divinae volitionis necessariae, vel est ipsum esse Dei, aut est esse creatum

distinctum realiter ab esse dei; aut est medium à parte rei inter esse creatum & increatum, ita ut nec sit deus, nec creatura; hoc ultimum dici non potest, quia ut ipse P. Suarez late demonstrat in metaphysica ens reale adaequate dividitur in esse Dei, & in esse creaturae, ita ut nullum detur ens reale, quod non comprehendatur sub aliquo ex his extremis: ergo terminatio illa &c.

Nec potest dici in sententia P. Suarez, talem terminationem esse ens creatum distinctum realiter ab esse dei, tum quia ipse late probat actum liberum Dei non constitui per aliquid creatum, & per aliquid extrinsecum ipsi, sed terminatio illa constituit formalissime ex P. Suarez actum liberum Dei: ergo terminatio illa non est esse creatum; quia iam incederet P. Suar. in eam sententiam, quam late impugnatur, ac proinde sibi ipsi contradiceret, & praeterea contra ipsum insurgerent omnia argumenta, quae contra opinionem Patris Herize supra adduximus, praeterea aliquid maius inconueniens sequeretur contra Patrem Suarez ex principiis eiusdem, quia P. Suarez asserit, totum, & adaequatum actum liberum esse intrinsece in Deo; quia est actus vitalis, & perfectio ipsius, ac per consequens non posse compleri per denominationem extrinsecam sumptam à creatura, aut ab aliquo extra Deum, sicut actus vitalis Angelus, quia talis est non potest compleri per aliquid extrinsecum, sed adaequate, & totaliter est intrinsece in ipso Angelo.

Sed terminatio illa pertinet ad constitutum essentialiter ultimum talis actus liberi Dei: ergo actus liber dei secundum illam terminationem intrinsece est in deo, quia intrinsece constituitur ab illa in esse volentis liber, ac vitaliter: ergo si terminatio est aliquid creatum, erit intrinsece in ipso deo aliquid creatum; & aliquid creatum similiter constituit formaliter in perfectione viventis, ac volentis ipsum deum: sed hoc est summum absurdum, nam in Concilio Remensi contra Gilbertum Porret. aperte definitum est quidquid in deo est, deum esse, & non creaturam: ergo si tu asseris, terminationem illam esse intrinsece in deo, & simul asseris terminationem illam esse quid creatum, ex diametro sine dubio te opponis definitioni Concilij Remensis.

Deinde eadem inconuenientia, quae contra Caietanum eruit, contra te ipsum erueretur; componeretur enim deus intrinsece ex esse diuino & esse creato, &c. ergo nullo modo potest dici, terminationem illam, per quam intrinsece, ac formaliter constituitur actus liber dei, esse ens creatum: ergo solum restat dicendum, primum membrum divisionis, scilicet terminationem illam esse ipsum esse Dei: ergo evidenter sequitur, quod si actus liber Dei est liber, & contingens quoad terminationem, esse liberum, & contingentem quo ad esse dei; patet consequentia, quia terminatio illa est esse Dei per vos, sed per vos etiam terminatio illa est libera, & contingens: ergo per vos esse dei debet esse liberum, & contingens, quare si non potest dici esse Dei esse liberum, & contingens, similiter nec poterit dici, esse liberam, & contingentem terminationem, unde sicut negas, actum liberum esse, similiter se talem, & esse contingentem quoad esse, similiter debes negare, esse contingentem, & liberum quoad terminationem, & è contra, si concedis terminationem esse contingentem, & negas, esse Dei esse contingens, concedendo esse Dei

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 359

Dei esse ipsam terminationem concedis duo contradictoria simul, videlicet idem esse liberum, & non liberum, esse contingens, & non contingens simul.

374 Præterea, quia quando dicis, terminationem illam esse liberam, & contingentem vel loqueris de ipso esse terminationis intrinseco, vel de connotato extrinseco illius terminationis; hoc ultimum non est ad rem; quia alias actus liber Dei, vel deus quoad suum actum intrinsecum non haberet indifferentiam ad amandum, vel non amandum; sed solum diceretur indifferens extrinsece, quia terminus connotatus est contingens, quod est falsissimum, & contra tua principia; nam sicut deus est liber intrinsece, ita etiam est indifferens in intrinsece ad amandum, vel non amandum, ad volendum facere, & ad volendum non facere; quare non ideo vult, cum posset non velle quia creatura existit, cum posset non existere, sed potius contra ideo existit creatura, cum posset non existere quia Deus ita vult, ut non posset non velle existere ipsam; unde potius dicendum est creaturam denominari indifferenter ab actu libero, quam actum liberum à creatura indifferentiam forturi.

375 Et præterea; quia iam libertas Dei, sui indifferentia actus liberi, quæ Synonyma sunt, aut se habent ut definitio, & definitum, sicut homo, & animal rationale, esset denominatio extrinseca sumpta à creatura, quod ipse P. Suarez in *metaphys. disp. 30. sect. 9. à num. 4. usque ad 7. exclusivè*, auctoritate scripturæ, & rationibus evidentibus labeficit: [quia (ut ipse ait) velle amare libere, & similes denominationes, cum sint vitales non possunt esse omnino extrinsece: ergo vel Deus non amat libere, vel amat per amorem liberum, qui in ipso est; secundo quia facere illo modo, cum indifferentia scilicet agendi, & non agendi, & nihilominus determinare se ad agendum immediate, ac formaliter per ipsammet actionem extrinsecam creatam & est modus intelligibilis, ac impossibilis, & quamquam esset possibilis, esset imperfectissimus, & Deo indignus.] Sic ille quibus manifeste probat, indifferentiam, & libertatem actus divinæ voluntatis, non posse esse denominationem extrinsecam sumptam à contingentia extrinseca creaturarum: ergo si actus divinæ voluntatis dicitur liber quoad terminationem, debet esse liber quoad aliquid intrinsecum ipsius actus liberi, scilicet quoad ipsam terminationem, per quam ipse intrinsece constituitur, hoc est per divinam illam tendentiam vitalem, & non per ipsum terminum extrinsecum, aut connotatum creatum, quod respicit talis terminatio, & modus loquendi. P. Suarez id manifestat; quia non dicit actum divinæ volitionis esse liberum, & contingentem quoad connotatum, seu quoad creaturam productam libere ab ipso Deo. (alias ipse Suarez incidere in sententiam illorum, qui asserunt, actum liberum in esse liberi constitui formaliter per creaturam, quam late impugnat ipse P. Suarez loco citato) sed potius ait, esse liberum quoad terminationem, & tendentiam, utique vitalem increatam & divinam ipsius divinæ volitionis, quod videte licet *sect. superiori*, ubi sententiam ipsius explicuimus: ergo quando dicis, actum divinæ volitionis esse liberum, & contingentem quoad terminationem ipsius, loqueris de ipsa terminatione divina quatenus distinguitur à termino connotato, & quatenus est causa talis ter-

mini connotati, siquidem actus quatenus liber formaliter est causa creaturæ.

Tunc sic; vel illa terminatio est aliquid ens, 376 vel nihil est; seu nullum ens est quia inter hæc nullam datur medium eo quod termini immediate maxime, & contradictorie opponantur, oppositio enim contradictoria sine medio est; quod fundatur evidentissimo illo principio, quod liber est vel non est; sed non potest dici, quod terminatio illa nihil sit, aut nullum ens sit, alias nihil constitueret, nec aliquid componeretur ex illa, quia ex nihilo nihil resultat; unde actus liber, qui ex illa constituitur nihil esset, ac proinde præter actum necessarium nullus actus liber daretur, seu nihil reperiretur in Deo, quod mereretur rationem actus liberi: ergo necessario dicendum est, illam terminationem, per quam constituitur actus liber, habere aliquid esse, seu esse verum ens: atqui est verum esse, quod constituit actum liberum essentialiter, & formaliter: ergo est verum esse actus liberi: patet consequentia, quia omne constitutum essentialiter alicuius est esse seu essentia constituti; unde quia Paternitas in divinis constituit Patrem, & intellectio purissima constituit Deum essentialiter per vos, intellectio est esse Dei, & Paternitas est esse Patris, & quia rationale constituit essentialiter hominem, rationale est essentia seu esse hominis, & quia materia prima constituit Leonem essentialiter, materia prima est esse leonis; sed terminatio illa intrinsece, & essentialiter constituit actum liberum, & per vos actus ille est liber, & contingens quoad terminationem: ergo actus ille debet esse liber, & contingens quoad esse, & quoad entitatem; v. g. quia homo est corruptibilis quoad unionem, quæ constituit essentialiter hominem est corruptibilis quoad esse, & entitatem propriam; unde si Pater æternus per impossibile esset corruptibilis quoad paternitatem, esset sine dubio corruptibilis quoad esse, & entitatem Patris: ergo male distinguitis dicendo amorem divinum terminatum ad creaturas, seu prædestinationem D. Petri esse liberam, & contingentem quoad terminationem & non quoad entitatem; quia entitas actus liberi, & terminatio actus liberi sunt omnino idem; cum per suam entitatem, & non per aliquid distinctum à parte rei ab ipsa terminetur, & tendat vitaliter in creaturam.

Exemplo manifesto comprobatur in creatis amor; quia actualis est & quia habet pro obiecto immediato, & formali Deum vel creaturam, terminatur ad Deum, vel ad creaturam per suum ipsum esse, ita ut ipsa terminatio, seu tendentia vitalis amoris in obiectum sit ipsum esse ipsius amoris, & non aliquid esse distinctum ab ipso amore, quod patet evidenter, quia esse formalissimum amoris non potest intelligi sine tendentia, & terminatione vitali ad obiectum; quare si præscindas amorem à terminatione ad obiectum, seu à tendentia ad ipsum, non erit amor, quia simplicissime per ipsum esse amoris tendit in illud: ergo similiter in Deo nullo modo potest intelligi esse amoris creaturarum sine tendentia, & terminatione vitali ad illas, quapropter per suum ipsum esse simplicissimum est terminatio, seu tendentia vitalis ad creaturam, ita ut tendentia illa vitalis, seu terminatio sit ipsum esse formalissimum prædestinationis, ita ut neque realiter, neque virtualiter à parte rei, neque per rationem distinguatur terminatio,

natio, & tendentia amoris liberi ad creaturam ab ipso esse formalissimo amoris ipsarum, sed per te amor creaturarum est liber, & contingens formalissime quoad tendentiam & terminationem: ergo formalissime quoad esse; & entitatem prædestinatio est libera & contingens.

377 Declaratur amplius, quia sit per vos actus liber Dei neque realiter, neque per rationem addit aliquid supra actum necessarium distinctum ab ipso actu necessario propter simplicissimam entitatem illius actus, ac proinde neque re, neque ratione distinguitur ab actu necessario, etiam si effectus quasi contradictorios habeant, & denominationes contradictorias subeant, & obiecta realiter distincta respiciant; nam amor necessarius Dei non terminatur ad creaturas sed solum ad Deum; amor autem liber non terminatur ad Deum, sed solum ad creaturas: ergo multo minus distinctum, siue re, siue ratione addet terminatio amoris liberi ad creaturas supra ipsum esse amoris liberi: patet consequentia manifeste, quia neque in creaturis, neque in ipso Deo datur aut effectus, aut fundamentum ad hoc, ut possimus distinguere terminationem amoris ad obiectum ab ipso esse amoris, nam in creaturis neque per rationem distinguitur tendentia, seu terminatio amoris ab ipso amore, etiam si creatura propter suam imperfectionem, & potentialitatem obnoxia sit tot distinctionibus realibus.

Item nullus effectus datur terminationis, qui non sit simul effectus amoris, qui terminatur: ergo nullo modo potest poni distinctio aliqua inter terminationem prædestinationis ad D. Petrum, & ipsum esse seu entitatem prædestinationis: ergo nulla denominatio potest dari, aut nulla formalitas attribui terminationi, quæ non attribuitur amori, prædestinationi, seu esse, & entitati prædestinationis, quæ non attribuitur etiam terminationi seu tendentiæ vitali ad obiectum, seu terminum prædestinatum: sed per vos prædestinatio est libera, seu contingens quoad terminationem: ergo similiter debet esse libera quoad esse, & entitatem ipsius prædestinationis, & contra si prædestinatio non potest esse libera, & contingens quoad entitatem, & esse prædestinationis, nullo modo potest esse libera, & contingens quoad terminationem, & tendentiam vitalem prædestinationis: ergo contradictio datur in adiecto indistinctione illa, qua vtuntur aduersarij de libertate, & contingentia quoad terminationem, & non quoad entitatem, & esse amoris.

378 Deinde per vos actus liber Dei quoad terminationem potest abesse, & adesse formaliter, & vere, quia quoad terminationem est liber & contingens, & non potest adesse, & abesse formaliter, & vere quoad entitatem, & quoad esse, quia quoad entitatem, & esse non est liber, & contingens: ergo terminatio illa amoris Dei supra quam cadit reduplicatio, est libera, & contingens formaliter; sicut v. g. quia anima rationalis secundum unionem ad corpus est corruptibilis, ipsa vnio, supra quam sit reduplicatio, debet esse corruptibilis, & quia homo secundum voluntatē formaliter est liber, & non secundum intellectum, voluntas, supra quam sit reduplicatio est libera formaliter, & non intellectus: sed per vos actus liber Dei est liber, & formaliter contingens secundum terminationem, vel quoad terminationem, ac proinde secundum terminationem potest ab esse, & adesse Deo formaliter: ergo terminatio diuini amoris ad creaturas quatenus distin-

guitur ab extrinseco termino creato vere, formaliter, & proprie definit esse, abesseque & adesse seu potest abesse & adesse formaliter in Deo; atqui illa terminatio intrinseca, seu vitalis tendentia, per quam formaliter, & intrinsece constituitur prædestinatio in esse volitionis libera nullo modo distinguitur ab esse dei à parte rei, & formaliter, sed est idem omnino non solum realiter sed etiam ratione, cum esse dei, & cum entitate ipsius: ergo esse dei potest definire esse realiter: sed id quod potest definire esse est corruptibile: ergo esse Dei formaliter est corruptibile, quod est omnino hæreticum, & aperte contra fidem catholicam, & ex alio capite si terminatio illa formaliter definit esse & non definit esse formalissimum dei: ergo esse formalissimum dei separatur realiter à terminatione illa ad obiectum, sed quæ separantur realiter, distinguuntur realiter: ergo esse dei & terminatio ad obiectum distinguuntur realiter in amore libero, qui constituitur per talem terminationem, sed omne, quod est à parte rei & distinguitur à parte rei ab esse dei, non est deus, sed creatura, quia non datur medium inter esse Dei, & esse creaturæ, vt iam diximus, sed, per illam terminationem constituitur esse dei in esse amoris liberi formaliter, quia præcisa terminatione per vos esse dei nullo modo est liberum, cum per vos volitio dei non sit libera quoad esse, sed quoad terminationem: ergo actus liber dei formaliter in esse talis constituitur formalissime per creaturam.

Nunc interrogo, an sit per creaturam existentem extrinsecè respectu Dei, vel intrinsecè existentem in ipso? si est per creaturam existentem extra Deum: ergo iam actus liber dei constituitur per extrinsecam denominationem, quod late impugnatur ipse Pater Suarez, vbi supra. Vnde non potest in principiis Patris Suar. sublineri.

Si est per creaturam intrinsecè existentem in Deo iam dabitur aliquid creatum intrinsecè in ipso, quod est aperte contra Concilium Remense definiens clare, & expresse contra Gilbertum Porret. quidquid in Deo est, Deum esse, quia alias ex Deo, & creatura componeretur vnum totum, vnde Deus volens erit compositum. & non simplicissima entitas, quod est falsissimum, & contra innumera Concilia quæ definiunt, Deum esse simplicissimum secundum omnem perfectionem suam. Præterea sequentur omnia incommoda, quæ contra sententiam Henrici supra etiam, vnde actus liber Dei erit vitalis, & non vitalis. Deinde omnis actus intrinsecus distinctus realiter ab eo, cuius est actus, perficit intrinsecè, & recipitur in illo cuius actus est; omnis enim actus perfectio est, omnis autem perfectio debet perficere id, cuius perfectio est, quæ perfectio licet in se sit talis, indicat sine dubio potentialitatem in subiecto ad talem perfectionem, & per consequens imperfectionem in ipso; quæ omnia salva fide catholica non possunt verificari de Deo: ergo talis solutio, ex qua tot inconuenientia sequuntur, non potest sublineri.

Exemplo demonstratur ratiocinatio hæc: si aliquis diceret, iustitiam diuinam, aut diuinam paternitatem definire esse vere, & realiter, sine dubio hoc modo convinceretur: Per vos diuina iustitia definit intrinsecè: sed diuina iustitia est ipsa essentia Dei: ergo essentia Dei definit intrinsecè, essentia Dei: ergo essentia Dei definit intrinsecè, & realiter; aut econtra si ipsa essentia dei non potest definire esse, sed semper necessario est similiter non poterit non esse, aut definire esse ipsa iustitia, quæ est idem cum ipsa essentia, alias existente diuina essentia non existeret diuina iustitia.

Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 361

stia; sed ea, quæ ita se habent, vt existente vere, & realiter vno, non existit alterum, separantur realiter; & quæ separantur, distinguuntur realiter: ergo diuina iustitia distinguitur realiter à diuina essentia: ergo diuina iustitia est creatura, & non Deus, &c. sed existente diuina essentia, definit esse formaliter diuina terminatio, quæ intrinsicè constituit actum liberum: ergo diuina terminatio separatur realiter, ac formaliter à diuina essentia, ac proinde distinguitur realiter ab illa, quod est incidere in opinionem Caietani, & in reliqua inconuenientia, quæ contra illum eruit Pater Suarez, rationes quorum omnes Catholici acriter inuehuntur in illam, abhorretque aures catholicas.

SUBSECTIO I.

Alique solutiones refutantur.

Respondent aliqui defensores Patris Suarez, terminationem illam esse contingentem, & posse definire formaliter quoad denominationem, ac proinde terminationem illam neque distinguere realiter à deo, neque componere cum ipso realiter actum liberum.

Sed contra manifeste, & euidenter, quia vel denominatio illa, quæ est contingens formaliter, & formaliter definit esse ratione formalis contingentie, est nomen solum significans entitatem terminationis, & terminationem ipsam; vel est entitas ipsa terminationis significata per tale nomen? si primum, non est ad rem, quia hic non loquimur de nomine actus liberi, neque tota difficultas est de denominatione, sed potius de actu ipso vitali dei liberæ volitionis, quomodo necessarius cum sit, & sit ipse Deus, possit deficere; quod est de ratione actus liberi, & quomodo vera sit illa propositio; Deus vere, & proprie ita amat, vt poterit non amare, & ita non habet amorem, vt poterit habere illum, ita prædestinavit D. Petrum, vt habuerit indifferentiam ad reprobandum illum, & è contra ita reprobauit Iudam Iscariotem, & Antichristum, vt poterit prædestinare ipso, ita prædestinavit Christum, & B. Virginem, vt si voluisset, potuisset non prædestinare ipsos, & ita voluit creare totam hanc machinam vniuersi constantem ex cælis, Angelis, hominibus, mistis, & elementis, vt poterit velle non creare illum, quis enim hæc arca, in diuina mysteria ad nuda, & vacua nomina solum, & ad denominationes dumtaxat phantasticas ausu temerario poterit reuocare: vnde iterum urget argumentum; nam actus liber Dei non est solum indifferens & liber quoad nomen, sed etiam quoad rem ipsam, alias in Deo non daretur libertatis perfectio in re, sed solum in nomine; vnde esset sine dubio titulus sine re, vt volunt hæretici, quod damnatur aperte à Conciliis contra delirantes Lutheranos, dum loquuntur de libertate humana, quæ comparata cum diuina, & composita ad ipsam infinite distat ab eadem, & potius umbra, & vestigium libertatis, quam libertas perfectissima est; sicut omne esse participatum vocatur vestigium Dei, & umbra ipsius, omne enim creatum quasi nihilum ante re: ergo multo magis dammandum est, & abominandum, virisque catholicæ fidei lumine circumfusus toto pectore, velis, remisque fugiendum, dicere, & perficta fronte pronunciare li-

I. P. Tom. II.

bertatem, & indifferentiam diuinæ volitionis esse solum quoad nomen, & non quoad rem ipsam: ergo libertas diuini actus non solum quoad denominationem, sed etiam quoad realitatem datur in Deo propriissime ac verissime, sed vera, & propria libertas necessario dicitur veram, ac propriam indifferentiam formalem, & hæc non potest intelligi sine contingentia, & ideo est verum hoc entimema, Deus non amat, nec prædestinat necessario hanc creaturam ad gloriam: ergo contingens fuit, vt amaret, & non amaret illam, & sic ita amauit, vt potuerit non amare ipsam, itaque contingentia necessario sequitur indifferentiam, & libertatem actus, vnde Pater Suarez, cum videat hoc non posse excusari, dicit, actum liberum non quoad esse, sed quoad terminationem esse contingentem ac per consequens posse abesse, & adesse, si non quoad entitatem, minimum quoad terminationem: ergo si Deus non solum in nomine terminationis, sed etiam in re ipsa, seu in terminatione significata per nomen habet indifferentiam, & libertatem non solum in nomine terminationis, sed etiam re ipsa in terminatione habet contingentiam, & sic terminatio ipsa erit contingens, ac tandem poterit esse, & definire esse: sed terminatio illa est in Deo intrinsicè, & quidquid in Deo est, Deus est, & esse diuinum vt fides catholica docet: ergo Deus, & esse diuinum contingens est, ac proinde Deus poterit esse, & non esse formaliter quæ sunt inconuenientia, quæ contra Caietanum eruit Pater Suarez, ac proinde Peryllus suo tauro comburitur, & vt alibi dicitur, incidit in foueam quam fecit.

Præcipue, quia vel hæc denominatio, aut nomen libertatis, & indifferentie actus quoad terminationem, aut in terminatione actus, est vera vel falsa, falsa esse non potest secundum fidem, & euidens lumen naturæ, alias Deus diceretur falso amare creaturas, quas libere amat; si vera: ergo in obiecto per illam significato, scilicet in terminatione ipsa, & in ipsa entitate terminationis debet dari vera contingentia, & propria, ex eo enim quod res est vel non est, propositio, & denominatio dicitur vera, vel falsa: sed terminatio illa quoad denominationem veram, verèque significantem ipsam terminationem vt est, est contingens, & sic potest esse, & non esse, in Deo: ergo & terminatio ipsa potest esse, & non esse in ipso, sed terminatio ipsa actus liberi est ipsam esse actus liberi, seu entitas illius, quia nullo modo distinguuntur realiter, imo nec per rationem vt supra late probauimus, & ex alio capite esse amoris diuini est ipse Deus: ergo non solum actus liber quoad denominationem terminationis, neque solum quoad terminationem significatam per talem denominationem, sed etiam quoad esse, & entitatem amoris, imo & ipse Deus, & essentia diuina poterit esse, & non esse formaliter; vnde si ipsum esse amoris, & ipsa terminatio non potest esse, & definire esse, sed necessario semper est, ipsa denominatio semper erit, & nomen verè significans dilectionem Dei semper erit, & nunquam deficiet. Explicatur manifesto exemplo, ideo denominatio amoris, quo se amat Deus, & quo amat creaturas possibles, cum quibus connectitur omnipotentia in sententia Patris Suarez, nullam habet contingentiam, sed potius summam necessitatem, ac proinde non potest esse, & non esse, quia entitas, & terminatio

Z z natio

natio illius amoris ad Deum & ad creaturas possibiles, quam significat vere, & ut est ipsa denominatio, & cum qua maxime proportionatur ipsa; quia ponitur à Deo, & non à creaturis fallibilibus, nullam habet contingentiam; sed potius summam necessitatem, &c. sed etiam per vos terminatio actus liberi nullam habet contingentiam, sed potius summam necessitatem, & sic non pot. st. esse, & non esse, sed potius determinate, & necessario est: ergo neque denominatio, aut nomen per quod significatur vere ut est, debet habere contingentiam sed potius summam necessitatem; & sic non poterit esse, & non esse, sed certe denominatio illa; quia libera est, contingens est: ergo entitas terminationis contingens est: ergo poterit non esse, ac proinde ipse Deus poterit esse, & non esse.

Vegetur, ac declaratur amplius; quia prædicatum hoc intrinsecum amoris Dei ad creaturas est intrinsece in re, de qua prædicatur; sed non est respectus rationis proprius, & fictus: ergo est ens reale in ipso, siue dependeat ab extrinseco connotato in prædicari, siue non; aliud enim est quæ- rere à quo dependeat, aliud quid sit; argumentum autem factum solum intendit; ut explicent, quid sit, anne obiecto ipsi extrinsecum, an intrinsecum? ante omnem intellectus fictionem; sed non negant hoc secundum: ergo est ens reale hoc, quod tu nominas prædicatum intrinsecum, foret enim hoc mirabilis, ut notat Herize, quod esset aliquid intrinsecum obiecto, & quod nec esset ens rationis, nec ens reale; quod si non est ens rationis, ens reale erit: ergo cum concedis potentiam ad habendum, & non habendum prædicatum intrinsecum, concedis in Deo potentiam ad habendam, & non habendam entitatem realem; implicat ergo cum eis, esse contingentiam in prædicato intrinseco, & non esse in entitate reali, esse in terminatione contingentiam & non esse in entitate terminationis illam.

Nec minora inconuenientia eruntur ex tuis principiis contra te ipsam; quia tu asser. s. actum liberum supra necessarium nihil addere, neque realiter, neque ratione distinctum: ergo actus liber non distinguitur, neque re, neque ratione ab actu necessario, quæ omnia nullo modo inter se coherere possunt cum principiis receptis à te ipso; quia ideo per te relatio paternitatis distinguitur per rationem à diuinitate, & virtualiter à parte rei, quia verificantur de illis prædicata contradictoria, verbi gratia, communicatio diuinitatis, & non communicatio paternitatis. Item intellectus diuinus distinguitur per te virtualiter à parte rei à voluntate diuina; quia per intellectum diuinum generatur Verbum, & non generatur per voluntatem; sed actus liber terminatur ad creaturas à parte rei, & non terminatur ad Deum, & è contra actus necessarius terminatur ad Deum & non ad creaturas. Item actus necessarius neque quoad esse neque quoad terminationem est contingens, actus vero liber si non quoad esse, saltem quoad terminationem per te est contingens: ergo iam de actu necessario, & libero prædicantur formalitates contradictorie oppositæ; unde datur tota ratio formalis propter quam concedis distinctionem virtualem à parte rei, & formalem per intellectum inter perfectiones diuinas alias: ergo etiam inter actum liberum, & necessarium diuinum debet dari distinctio rationis per intellectum; sed si nihil adderet actus liber in deo distinctum à necessario, nec realiter, nec ratione distingueretur, ut de se

pater, ut rationale non distinguitur à principio ratiocinandi, quia nihil addit rationale supra ipsum: è contra vero rationale distinguitur ab animali, quia rationale addit aliquid ratione distinctum supra animal: ergo si actus liber distinguitur ratione ab actu necessario aliquid ratione distinctum debet addere supra necessarium.

SUBSECTIO II.

Ex refutatione aliarum solutionum confirmatur nostra veritas.

Quia nemo potest mente concipere rationem formalem alicuius effectus, vel quasi effectus (loquor de ratione metaphysica identificata cum re, non autem de physica, quæ petit aliquas condiciones ad tribuendum effectum formalem,) dari in subiecto capaci, & talem rationem esse omnino necessariam, & esse omnino independentem à quocunque extrinseco, & nihilominus non tribuere effectum formalem necessario, sed contingenter, quia imperceptibile est, Deum de facto realiter denominari volentem libere, ita ut potuerit non esse volens, & formam, quæ talem effectum formalem liberum tribuit, ut sic, esse necessariam nec deficere posse; nam denominare nihil aliud est, quam habere formam id, quod est capax effectus formalis illius: ergo si forma necessario semper est in Deo independentem à quocunque extrinseco, semper denominabit Deum, quia Deus est capax denominationis, & ex alio capite ad talem denominationem non prærequiritur aliquid connotatum extrinsecum: sed ante omne connotatum extrinsecum Deus est capax amandi creaturam. Exemplo manifestissimo declaratur; impossibile est, quod deatur in aliquo subiecto formalitas metaphysica animalis rationalis quæ per identitatem existit in subiecto, & est independentem à quocunque connotato extrinseco, & quod tale subiectum non sit homo; quod è contra euenit in formis physicis, quæ distinguuntur à subiectis, & petunt ad suos effectus formales condiciones aliquas extrinsecas, vel dependent ab aliquibus extrinsecis connotatis ad suos effectus formales tribuendos, & ideo non mirum, quod non tribuant illos, si non dentur talia requisita, & sic anima rationalis, licet existat in ossibus, non facit eos viuere, quia ad tribuendum effectum formalem vegetatiui dependet à requisitis aliquibus, quæ non reperiuntur in ossibus, ut reperiuntur in carne, sed formalitas amandi creaturas non est physica, sed metaphysica identificata à parte rei, cum ipso deo capaci semper amandi creaturas, & talis formalitas est independentem ab omni connotato, & requisito extrinseco extra Deum existente: ergo semper, & necessario debet tribuere effectum formalem amandi creaturam: atqui non semper tribuit talem effectum, & hoc non ex defectu incapacitatis Dei: ergo sine dubio est, quia deficit formalitas amoris creaturatum in Deo.

Declaratur amplius, quia nihil aliud est effectus formalis alicuius formalitatis, vel ut melius loquar, quasi effectus formalis illius, nisi totum coalescens ex forma, subiecto capaci, & vnione inter ipsa, verbi gratia, nihil est aliud homo, nisi totum coalescens ex materia capaci animæ rationalis, & anima rationali, ac tandem vnione inter

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 363

inter ipsas, & hoc totum adhuc per rationem nihil aliud est, quam materia, forma, & unio; quia totum neque realiter neque per rationem distinguitur ab omnibus constitutivis simul sumptis & unitis, ut latissime in *Physicis disput. de toto* demonstravimus. Item nihil aliud est Pater aeternus in divinis, qui est constitutum seu quasi effectus formalis Paternitatis, quam paternitas divina essentia, & identitas inter utramque, & sic de ceteris; sed in quocunque signo rationis datur tota formalitas metaphysica amoris creaturarum liberi, & datur identitas ipsius cum Deo necessaria, quia necessario identificatur actus liber Dei cum Deo, & semper datur necessario Deus ipse: ergo semper, & necessario dantur omnia constitutiva Dei volentis libere creaturas: ergo semper datur quasi effectus formalis talis amoris creaturarum, scilicet Deus volens creaturas futuras v. g. quia ut diximus: nihil aliud est Deus volens creaturas futuras, nisi omnes partes, vel constitutiva Dei amantis illas identificata inter se.

Ex quo magnum sequitur inconveniens, videlicet, Deum non posse non amare creaturas futuras, neque potuisse non esse amantem futurarum creaturarum, ac proinde non libere, sed necessario amare illas, quod est haereticum, & lumini naturae contradicit: ergo si ita libere amat, ut poterit non amare, necessario dicendum est ita esse formalitatem amoris in Deo, ut poterit non esse formalitas amoris in Deo; sed formalitas amoris est entitas amoris: ergo ita est entitas amoris in Deo ut poterit non esse in ipso formaliter: ergo formalitas amoris distinguitur realiter ab ipso Deo: patet consequentia, quia ea quae ita se habent, ut possint separari realiter, quia existente uno, potest definire alterum, distinguuntur realiter, ut adversarij contra Caeteranum argumentantur, sed existente Deo, & divina voluntate, necessario potest vere, & realiter non existere formalitas, & entitas amoris creaturarum: ergo formalitas & entitas amoris creaturarum distinguitur realiter à Deo; sed quidquid distinguitur realiter ab alio, non est illud, à quo distinguitur, quia distinctio dicit negationem distincti respectu illius, à quo distinguitur: ergo actus amoris Dei non est Deus à quo distinguitur: ergo est creatura; quia non datur medium inter Deum & creaturam: ergo iam incidis in sententiam eorum, qui asserunt, actum liberum Dei nihil aliud esse, quam Deum, & creaturam simul quamque nos supra labefactavimus, & tu effecaciter oppugnas *disp. 30. sect. 9. à parrapho 4. usque ad 7. exclusive*; & praecipue eo quod amor est vitalis in Deo, & sic debet esse intrinsecus ipsi, & necessario debet esse ipse Deus, quia nihil est in Deo quod non sit Deus.

Amplius confirmantur dicta, quia impossibile est, quod datur definitio completa alicuius à parte rei, & quod non datur definitum talis definitionis, vel clarius, impossibile est, quod datur aliquid quod neque re, neque ratione distinguitur ab alio necessario & non contingenter, & quod non datur necessario illud, à quo nullo modo distinguitur id, quod datur; unde impossibile est, quod datur ens omnino independens ab alio, quod nullo modo distinguitur à Deo, & quod non datur Deus, sed omnes partes, seu omnia constitutiva simul sumpta, & identificata Dei amantis creaturas futuras, dantur à parte rei necessario, & non contingenter, quae sunt definitio completa, & ut melius loquar, non distinguuntur, neque re, neque ratione à Deo amante creaturas futuras, seu

ab hoc concreto, Deus amans creaturas futuras: ergo impossibile est quod non datur necessario, & non contingenter hoc concretum, Deus amans creaturas futuras, sed non necessario Deus amat creaturas futuras, sed contingenter, ac proinde hoc concretum non est omnino necessarium: ergo non dantur necessario omnia constitutiva illius concreti, & sic debet deficere aliquid ex constitutivis, quando deficit concretum; sed non deficit Deus ipse, qui est unum ex constitutivis: ergo deficit formalitas amoris.

Nunc autem solum restat probare effectum formalem amandi creaturas non dependere à connotato aliquo extrinseco, neque denominationem Dei amantis libere dependere à connotato extrinseco, in quo distinguitur haec denominatio amantis creaturas à denominatione coexistentis Dei cum creaturis, quia haec omnino dependet ab illis; sicut & haec, Deus creans, dependet à creatione, quae creatura est, hoc autem sic demonstratur, quia quod est prius non dependet à posteriori, & quod est causa, non constituitur per effectum, neque existentia prioris ideo est, quia existit potentius; sed actus liber dei quoad entitatem terminationem, & denominationem est causa connotati extrinseci futuri, ut supra late demonstravimus; nam hoc est verum, quia deus formalissime non solum quoad entitatem, sed etiam quoad terminationem & denominationem vult creaturam esse futuram, creatura constituitur in esse futura: ergo actus liber dei quatenus liber formalissime, hoc est quoad entitatem, terminationem, & denominationem non dependet à futura creatura, sed prius natura datur actus liber formalissime, ut diximus, quam detur futura creatura, & sic non possumus dicere, si interrogetur à nobis cur non vult existere creaturam pure possibilem deus, quia creatura non existit, sed potius debemus respondere; quia deus est liber in volendo à se ipso, & non cum dependentia creaturarum: ergo pro certissimo habendum est quando deficit volitio libera dei circa aliquam creaturam, non deficere, quia deficit creatura, sed quia vult deus non amare ex eo quod liber est: ergo velle, vel non velle in deo, esse, & non esse amorem dei liberum, non dependet à creaturis, nec petit illas pro requisito antecedenti ad sui esse; sicut è contra futuro initio creaturarum, vel creatura ut futura, quia dependet à volitione divina, ponitur, ex eo quod posita est volitio, & tollitur quia aufertur volitio libera à Deo, vel virtualiter, ut mea sententia docet, vel formaliter, ut secundum tua principia debes dicere: ergo ad solutionem nostri argumenti non est recurrendum ad connotatum extrinsecum.

Declaratur hoc amplius; quia actus liber Dei eo modo, quo potest esse causa efficiens futuri, & ad quem necessario sequitur effectus futurus, non sufficit esse quasi materialiter, & solum quoad entitatem, sed necesse est ut datur formalissime actus liber Dei circa talem creaturam; atqui tali modo actus liber est non solum entitas illius, sed etiam terminatio formalis eiusdem, & denominatio formalis ipsius, quare ut creatura sit futura, & Petrus dicatur formaliter praedestinatus ad gloriam, hoc est ut Petrus ex possibili praedestinato transeat ad actum praedestinatum, necesse est, ut praecedat prioritate naturae tanquam causa completa praedestinatio ipsa formalissime, non solum quoad entitatem, sed etiam quoad terminationem formalem praedestinationis, & quoad denominationem illius formalissimam. Unde debet iam Deus prioritate naturae libere amare, & de-

Z z z nominari

nominari libere amans; ad hoc ut creatura dicatur amata & prædestinata: ergo actus liber Dei non solum præcedit creaturam, ut causa illius quoad entitatem actus liberi, sed etiam quoad terminationem formalem & formalissimam denominationem amoris liberi; quia donec hoc modo completus est actus liber, non est causa, neque causat futurum effectum; sed quia quoad entitatem est causa & præcedit effectum, ut sit entitas actus liberi, non dependet ab effectu futuro: ergo similiter quia quoad terminationem, & denominationem formalem amoris liberi præcedit ipsa prædestinatio terminum prædestinatum, & est causa illius non dependet ab ipso termino prædestinato: ergo tam denominatio, quam terminatio, & entitas actus liberi, nullo modo requirunt tanquam conditionem prærequisitam terminum prædestinatum; neque ut sic dependet ab illo sed solum consummate, & complete sunt à Deo denominatio, & terminatio actus liberi, & conveniunt intrinsicè ipsi, ex vi suæ perfectionis, & eminentiæ: ergo quando interrogatur ab aduariis cur deficit actus liber, non debent respondere, quia deficit connotatum; alias connotatum esset causa actus liberi, & non effectus illius.

Explico hoc manifestissimo exemplo amoris creati; quia enim amor creatus est causa, quare obiectum sit actu amatum ab ipso, non dependet ab obiecto amato, ita ut positio amoris in amante petat pro requisito antecedenti ipsum obiectum amatum, neque si interrogetur à nobis, cur obiecti amor detur, possumus respondere; quia obiectum amatur, sed potius debemus respondere, quia persona quæ diligit, ex eo quod libera est, & indifferens, se libere determinat ad amandum, & e contra, quando interrogatur à nobis, cur amor obiecti non sit actu, sed deficiat, non debemus dicere, quia obiectum non est amatum, sed potius, quia ipse amans noluit amare, vel noluit producere in se amorem: ex quo manifeste colligimus, denominationem illam amoris in amante obiectum, esse causam denominationis obiecti amati; ut patet ex hac casuali vera; ideo obiectum formaliter est amatum, quia prius natura habuit in se amorem amans, & est constitutus & complete denominatus amans.

Ex quo amplius colligimus, neque constitutionem amantis, neque denominationem illam diligentis dependere ab aliquo extrinseco à priori, neque indigere, ut sit tanquam prærequisito ipso esse amato obiecti; quia tale esse amatum est posterius ipsa denominatione, & constitutione amantis; quia pro priori naturæ ante obiectum actu amatum, & antequam constituitur in esse amati præcedit, supponitur, & est complete amans constitutum in esse amantis, ac proinde non trahere originem, aut constitutionem illam, aut denominationem amantis ab aliquo extra ipsum amantem; quia pro priori illo in quo necessario debet plene & plane supponi constitutum, & denominatum amans, nullum obiectum amatum intelligitur aut potest intelligi, à quo desumatur illa denominatio seu effectus formalis amantis, ac per consequens talem denominationem totaliter, & adequate esse intrinsecam; ex quo ultimo colligimus, siue ad concedendam, siue ad negandam talem constitutionem, & denominationem, siue ad defectum illius, siue ad

coexistentiam ipsius, siue ad quamcunque varietatem in tali denominatione nullo modo posse nos recurrere, aut confugere ad aliquod extrinsecum obiectum amatum, ut actu amatum; quia hoc totum est posterius, & pro illo priori non est; quia originem habet ab hoc, unde quacunque variatio in obiecto amato est, quia iam præcessit variatio in amante per ablationem aut additionem actus vitalis in amante, cuius formalitas sicut & ipsius, variatio debet esse omnino intrinseca, quia omnis vitalis formalitas, quia vivere est, est ab ipso vivente & in ipso vivente consummatur intrinsicè, ut patet ex definitione vivendi, quia nihil aliud est, quam moveri à se ipso, itaque constitutio, & denominatio actus vitalis adequate incipit à se, & consummatur in se sine eo quod in illa constitutione actus vitalis, & in denominatione formali illius interveniat aut habeat partem, ut ita loquar obiectum amatum, ut amatum, quia ut sic est effectus talis amoris, ac proinde non potest esse prærequisitum, conditio, aut formalitas, neque ad constitutionem amantis, neque ad denominationem illius, quia hoc totum præcedet, ut causa, & ut prius ad effectum qui resultat in obiecto amato.

Tunc sic amor liber Dei præcedit, ut causa vitalis futitionem creaturæ, quia creatura futura nihil aliud est, quam creatura possibilis amata à Deo ad habendum existentiam in tali differentia temporis; unde creatura ut futura, vel actu prædestinata, quæ nihil aliud est, quam amata ab amore divino, vel per amorem divinum à Deo ad beatitudinem supernaturalem in sua denominatione, & plena constitutione causatur adequate constituitur, & originem trahit ab amore libero prioritate naturæ exilente iam in Deo, & antecedenter pro illo priori pro quo nondum intelligitur creatura prædestinata constituyente Deum in esse amantis, & formalissime ac plene denominante ipsum in esse amantis, ut pro posteriori naturæ causetur, & constituitur creatura in esse futuræ & prædestinatæ per ipsum amorem tanquam effectus per causam.

Itaque ut clarius hoc intelligatur, creatura futura, & prædestinata est effectus Dei, quatenus volentis prædestinare, & dare existentiam creaturæ, & causa talis effectus est Deus volens, ita ut substantia dei sit id quod causat, per suam voluntatem, tanquam per potentiam formalem, & causalitas talis causæ sit volitio ipsa libera; & causalitas talis causæ sit volitio ipsa libera; atqui effectus alicuius causæ actu causantis non est, aut requisitum aut conditio à priori, seu formalitas constituens, ut causa existat, aut denominetur in esse causantis, sed potius ad intelligendam, & constituendam causam actu causantem pro illo priori recurrimus nullo modo ad effectum, quia pro illo priori nondum intelligitur, id est non concipitur, quasi constituendo suam causam, sed ad formalitatem quandam, quæ fluit & se habet ex parte causæ; unde si est causalitas vitalis, tota est intrinseca in agente, & nullo modo de foris emendicatur, ab aliquo existente extra ipsam causam: ergo ad denominationem Dei volentis liberè, vel non volentis liberè, hoc est ad denominationem, & constitutionem formalem Dei, & ad quamcunque varietatem & contingentiam, siue ad existentiam, siue ad defensionem, siue ad denominationem actualiter amantis, siue ad carentiam talis denominationis nullo

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 365

nullo modo. est nobis recurrendum ad aliquod extrinsecum connotatum, ut in illo prius fundatur talis denominatio, & variatio, cum potius variatio in connotato originem trahat tanquam à causa praecedenti à variatione, & contingencia seu indifferentia existente in amante; in quo distinguitur ratio amantis in Deo creaturas à denominatione scientis per scientiam visionis creaturas, nam in variatione scientiae possumus recurrere ad variationem obiecti, quia variatio obiecti praesupponitur ad ipsam scientiam, & ad variationem in illa, & ideo sunt verae hae causales: ideo Deus cognoscit, creaturam esse futuram & praedestinam, quia iam ex voluntate praesupponitur futura, & praedestinata; unde quando interrogamus, cur detur haec varietas in scientia visionis videlicet, quod nunc videat Deus creaturam existentem, & postea non videat existentem, sine dubio dicimus, quia obiectum eius variatum est de existente in non existens; unde recte, vel pro conditione, vel pro praerequisito quasi causali variationis in scientia, tribuimus variationem in obiecto antecedentem ad illam, quia quasi pro priori natura antecedit variatio obiecti ad variationem scientis, quod totum vice versa, & opposito modo succedit, & contingit in variatione, contingencia & indifferentia amoris Dei liberi, quia hic est causa variationis obiecti & non è contra, unde si quaeramus, cur talis creatura pure possibilis non varietur de illo statu, neque mutetur à pura possibilitate ad futuritatem, cum ex se non repugnet variari & mutari, & cur alia creatura mutata fuerit, v. g. Antichristus de statu pure possibilitatis ad futuritatem, certe sine dubio dicimus, quia Deus ex eo quod liber, & indifferens sit ad cauendas illas rationes, & mutationes, voluit potius hoc, quam aliud, & suo modo contingentiam, & indifferentiam suam per varietatem amandi & non amandi, ut ita loquar, exercuit itaque varietas in obiecto, seu indifferentia, & contingencia in ipso praesupponit variationem iam in Deo à nobis postea explicandam; unde ad denominationem, constitutionem, & variationem denominationum in Deo non debemus recurrere ad creaturam variatam, sed hoc totum debemus inquirere in Deo, & ex parte Dei, quia haec variatio est vitalis, & causativa variationis obiecti; unde si nobis recte philosophandum est, contendere debemus intra Deum solum investigare hoc, & intra ipsum solum invenire si possumus secundum dignitatem, & excellentiam divinae libertatis; quod optime docuit ipse P. Suarez cum quo pugnamus, tribuendo discrimen inter volitionem divinam & scientiam liberam his aureis verbis, *disp. 30. sect. 9. num. 33.* [& sine dubio ita esse videtur; nam Deus ex se solo se libere determinat, ut hoc velit potius, quam illud, & ideo non videtur illa denominatione posse prius in alio fundari, quam in ipso Deo, in quo est magna differentia inter volitionem liberam, & scientiam quatenus dicitur scientia visionis & dicitur aliquo modo contingens, aut libera, quatenus posset sub tali ratione non esse si res non essent futurae: intercedit ergo differentia inter hanc scientiam, & voluntatem, quod scientia, ut ex simplici intelligentia fiat visio, & praeter res possibiles se extendat ad repraesentandas res existentes supponit in obiecto aliquam varietatem pro aliquo tempore, cui aeternitas coexistit, vel saltem sup-

ponit aliquod decretum liberum divinae voluntatis, ita ibi intelligi potest extra ipsam scientiam aliquod fundamentum, vel principium illius denominationis, aut variationis; at vero in voluntate nihil supponi potest, sed omnis varietas, quae in obiectis intelligi potest ab ipsa voluntate trahit originem; & ratio à priori est, quia scientia, etiam ut terminata ad talia obiecta contingencia non est in se formaliter libera, sed necessaria ex praesuppositione talis obiecti existentis, vel futuri; at vero voluntas ut terminata ad talia obiecta est formaliter libera, & ideo illa relatio in scientia posset intelligi per modum cuiusdam respectus resultantis necessario in ipsa posito altero extremo, scilicet obiecto scibili in esse veri, seu scibili, in voluntate autem non potest ita intelligi, sed primo, ac per se originem trahit ab ipsa voluntate, omnibus aliis eodem modo se habentibus, & ideo intime in illa esse debet fundamentum talis respectus, & denominationis.]

Quae verba adeo clara sunt pro nostra ratiocinatione confirmanda, ut alia clariora desiderare non possem, unde potius à me ipso, quam ab alienariis excogitata, ac prolata videntur: ergo denominatio amantis libere, & variatio in talibus denominationibus non causantur, nec originem trahunt à variationibus, & mutationibus obiecti, sed potius variationes, & mutationes omnes in obiecto factae originantur à contingencia, & indifferentia actuum liberorum: ergo contingentia, & variationis actuum liberorum ratio, & principium non est quaerenda, neque inuestiganda extra Deum, sed potius intra Deum inveniendae est, quia est prima causa omnium privationum obiectuarum existentium extra Deum.

Atqui in Deo duplex tantum variatio, & contingencia potest reperiri, alia formalis, ut asserit Caietanus per additiones, & diminutiones reales formales à parte rei, quibus adduntur, & diminuntur realiter formaliter, adfunt & abfunt formalissime perfectiones divinae, & haec contingencia, & variatio actuum liberorum efficacissime rejicitur à P. Suarez ubi supra *sect. 9. à num. 7. usque ad 29. exclusivae*, ac proinde ab ipso non potest defendi, praecipue quia meo videri immediate opponitur infinitae excellentiae, simplicitati, & puritati divinae, & per consequens dogmatibus fidei catholicae alia contingencia, & variatio non formalis, sed virtualis, non per additiones, & diminutiones reales formaliter, sed solum aequivalenter reperitur in Deo, (de qua latissime *quaestione sequenti*) & haec convenit Deo eo quod propter suam eminentiam, summam puritatem, & infinitam actualitatem aequivaleret additionibus, & diminutionibus formalibus, quae propter suam imperfectionem reperiuntur in creaturis: ergo ex necessitate ad intelligentiam divinae libertatis eligenda est haec contingencia, & variatio; quia haec dignissima est Deo, & intellectu facilius omnibus aliis viis ex principiis in aliis controuersis theologicis receptis, quod amplius, & evidentius patebit ex dicendis *quaestione sequenti*; nunc autem ex iam dictis manifeste patet, actum liberum aut formalitatem amoris liberi ad constituendum Deum in esse amantis libere nullo modo dependere à connotatis extrinsecis, ac proinde dum quaerimus causam cur formalitas amoris, quae formaliter existit in Deo per identitatem necessariam cum ipso, non tribuat effectum formalem, nec faciat Deum amantem necessario, debemus recurrere ad contingentiam

tingentiam futuræ creaturæ; nam iterum vrgemus, quia ille effectus est contingens, & non necessarius, qui oritur à causa libera, & non necessaria, & ill. effectus est necessarius, & non liber, qui oritur à causa necessaria, & non libera: ergo prius est causam esse necessariam: aut liberam quam effectus possit dici, & appellari liber aut necessarius; unde ideo lux solis est effectus necessarius illius, & non liber quia sol est causa necessaria, & non libera illius; & è contra ratio quare Petrus prædestinatus ad gloriam est effectus liber, est quia oritur à causa indifferenti, & libera.

Item si interrogemus, cur ex suppositione quod prædestinatus est Petrus in æternum necessario erit prædestinatus sine vlla mutabilitate, in hoc sine dubio respondendum est nobis; ideo esse immutabilem talem effectum, quia ex suppositione decreti nunquam mutatur Deus, neque mutatur decretum saltem moralis inconstantia reperitur in deo: ergo ut causa sit necessaria, vel libera, nullo modo mensuratur neque dependet à contingentia vel necessitate effectus; sed potius è contra contingentia, & necessitas effectus mensuratur, & dependet à contingentia, libertate, aut necessitate causæ; quapropter si per impossibile Deus esset causam necessariam decernens creaturas futuras, ipsæ essent futuræ necessario: ergo de facto ideo creaturæ sunt futuræ contingenter, & libere, id est sunt effectus non necessarij, sed liberi, quia Deus in decernendo futuritatem illorum est causa libera, & non necessaria, & per consequens ipsa voluntas diuina in constituendo futuras creaturas, nullo modo dependet ab ipsis creaturis, quia iam quod est prius dependeret à posteriori: ergo hæc dependentia, quam male excogitasti ad eludendū argumentum nullius momenti est, neque potestis respondere interroganti cur contingenter amet creaturam, vel cur deficiat amor huius, cum possit adesse, dicendo, quia creatura futura est contingens, & quia deficit talis futuritio, cum potius ideo, deficiat futuritio, quia deficit volitio libera modo à nobis explicando, quia libertas causæ & indifferecia illius non constituitur, neque desumitur ab ipso effectu, sed potius à seipsa, quia ut iam dixi, si Deus non libere, sed necessario amaret futuras creaturas, aut esset causa necessaria talis futuritionis, ipsæ necessario essent futuræ: ergo si necessario non sunt futuræ, sed liberè, ideo hoc e. it, quia Deus est causa libera, & non necessaria, ac proinde ratio talis libertatis, & contingentia in sua denominatione, & constitutione non est dependens à connotatis extrinsecis.

Vnde exemplum relationis non est ad rem, tum quia in se falsissimum est, res enim creata non potest trāsire de contradictorio intrinseco ad contradictorium intrinsecum sine mutatione intrinseca sui per solam mutationem extrinsecam alterius, tum etiam propter alias efficacissimas demonstrationes, quibus falsitatem huius exempli latissime oppugnavi in Logica prædicamento de relatione. questione Vtrum relatio distinguatur à suo fundamento à parte rei, videantur ibi dicta, quæ maxime, conducunt ad intelligentiam præsentis questionis. Tum denique, quia etiam si concederemus probabilitatem exempli ad præsens institutum nihil iuaret adversarios; nam licet posset manu ducere intellectum ad cognoscendam variationem scientiæ visionis, sine mutatione intrinseca ex parte scientiæ per mutationem tan-

tum ex parte obiecti; nam sicut ablato termino, v. g. filio mortuo, non maneret Pater in esse Patris formaliter, quia denominatio Patris, & constitutio illius formalis dependet à termino; quia ut ait Aristoteles, posito fundamento & termino, resultat relatio quia fundamentum, & terminus sunt causa positionis relationis: quod non ita contingeret si relatio, aut positio illius esset causa positionis fundamenti, & termini; tunc enim in eo casu non possemus tribuere rationem, cur qui antea non erat pater, dicendo, quia antea non habebat filium, & nunc habet filium, alias positio posterioris esset causa positionis prioris, & reliqua quæ supra diximus quod est falsissimum, sed potius propter rationes supra positas, ratione huius variationis in Patre deberemus investigare solum in Patre, & in causis illius, non in filio, quia vero de facto positio termini, & fundamenti, & negatio termini, & fundamenti est causa positionis relationis, vel negationis illius: ideo supposita probabilitate exempli, quando à nobis quaeritur, cur nunc sit Pater, cum posset non esse Pater, optime respondemus ex mutatione fundamenti, & termini, dicendo, quia nunc habet filium, & genuit ipsum, quem posset non generare; unde exemplo hoc illuminati, quando interrogatur à nobis, cur varietur denominatio scientiæ visionis in Deo, de non cognoscente in cognoscentem sine mutatione intrinseca scientiæ, optime respondemus, dicendo, quia præcedit mutatio, & variatio in obiecto talis scientiæ, quod est quasi causa nostro modo intelligendi variationis in scientia, unde si variatio scientiæ non originaretur à mutatione, & variatione obiecti: sed potius e. et causa illius, nullo modo possemus dicere, ideo variatam esse scientiam; quia variatum est obiectum, neque rationem variationis in scientia deberemus investigare, aut querere extra scientiam in obiecto sed potius intra ipsam scientiam; quia sicut constitutio causæ non dependet ab effectu, neque potest tribui pro ratione constitutionis causæ effectus ipse, ita similiter non potest tribui pro ratione, & causa variationis in constitutione causæ ipsius effectus variatio, aut mutatio, alias daretur circulus vitiosus, & reliqua inconvenientia opposita luminis naturæ supra adducta sequerentur; v. g. ipso exemplo adversariorum hoc illustratur.

Nam licet pro causa paternitatis tribuatur filius genitus, & pro causa mutationis de non Patre, in esse Patris tribuatur mutatio de non habendo filio, in habendo filium, nihilominus tamen si causam, aut rationem investigemus, cur detur talis variatio in habendo, & non habendo filium, non debemus iterum recurrere ad variationem paternitatis, ne circulos vitiosos committamus, & de primo ad ultimum idem pro causa sui ipsius tribuamus, nam si variatio in habendo filium, est causa variationis in habendo paternitatem, & iterum si variatio & mutatio in habendo paternitatem est causa variationis habendi filium, de primo ad ultimum variatio & mutatio habendi filium, erit causa sui ipsius, quia quod est causa causæ est causa causati: sed hoc est summū absurdum: ergo pro ratione causæ formaliter non potest tribui ipse effectus, & pro ratione variationis causæ non debet reddi ratio variationis effectus; quia pro priori naturæ ante effectum supponitur independentem à variatione effectus variatio causæ; quia variatio causæ completa est à qua originatur pro posteriori naturæ variatio effectus. Quare si interrogetur à nobis, cur

Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 367

cur Petrus habeat filium, non est dicendum quia est Pater formaliter, sed potius quia habens potentiam ad generandum illum, applicavit talem potentiam ad producendum, & de facto produxit ipsum, cum antea neque applicaverit potentiam ad talem productionem, neque produxerit ipsum.

Tunc sic variatio in futuritione effectus, & mutatio tota obiectiva originatur tanquam à causa à variatione decreti liberi, hoc est ideo mutatum est nunc obiectum de puro statu possibilitatis ad futuritionem, cum posset non mutari, quia ita Deus voluit mutare illam, ut potuerit non velle: ergo pro ratione huius variationis in decretis liberis sic explicata nullo modo potest tribui variationi, & mutatio obiecti de possibili in futurum, sicut v. g. si interrogas, cur Petrus nunc videat parietem, & constituat ipsum in esse visi, cum antea non viderit ipsum, non debemus respondere, quia paries nunc est visus, & antea non erat visus, quia iam pro ratione causæ tribueretur effectus, nam totum, quod est ex parte videntis, v. e. potentia applicata, visio, & denominatio videntis supponitur prioritate naturæ complete ad constitutionem parietis visi; unde ad reddendam causam Petri videntis nunc non debemus recurrere ad mutationem parietis de non visi ad visum, sed potius debemus inquirere ad ipsam potentiam, & intra ipsam inquirere causam huius variationis, licet verum sit, quod à posteriori tanquam ab effectu, & signo ex mutatione obiecti colligamus mutationem in causa; sed de hoc non queritur in presenti, quia non est ad rem, quia solum investigamus rationem à priori mutationis in videntem de non videntem.

Ergo in decretis liberis quando interrogamus, quare, vel quomodo Deus nostro modo intelligendi variatur eo quod, cum potuerit non diligere creaturam nunc diligit ipsam, non querimus rationem à posteriori sed à priori: ergo nullo modo est danda, vt ratio illius variationis dependentia à connotato, nec ad hoc est adducendum exemplum relationis, quia variatio actuum liberorum opposito modo se habet respectu variationis obiecti, ac variatio relationis respectu variationis termini, & ab vno opposito non debet argui ad aliud, vt ab exemplo, & à similitudine, sed potius opposito modo secundum illud axioma contrariorum eadem est disciplina, & ratio opposito modo, quare si arguitur, ideo definit relatio, quia definit terminus in nostro casu opposito modo debet argui, non ideo definit decretum liberum, aut ponitur, quia ponitur, aut definit mutatio obiecti, sed potius ideo ponitur, & definit mutatio obiecti, quia ponitur, & definit decretum liberum & tota hæc oppositio in hoc consistit, quia decretum liberum & variatio illius non est effectus mutationis obiecti, nec dependet à priori ab illa, sed potius mutatio obiecti dependet à priori à decreto; è contra vero mutatio relationis dependet à priori à mutatione termini, & sic est effectus illius.

SVBSECTIO III.

Ex principiis Patris Suarez labefactatur eius opinio, & nostra veritas confirmatur.

381. **Q**uia ipse Pater Suar. vt supra vidimus, asserit, actum liberum à necessario nullo modo

distingui, neque re, neque ratione; eo quod nihil, aut re, aut ratione distinctum, addat supra necessarium: Tunc sic hoc supposito sic argumentor: quando in aliquo subiecto non est ratio formalis constituendi ipsum, tale subiectum non constituitur in effectu, vel quasi effectu talis rationis formalis, sed in Deo non datur ratio formalis constitutiva illius in esse amantis libere secundum vestra principia: ergo ex vestris principis manifeste colligitur, Deum non constitui in esse amantis libere: maior est certissima, minor, in qua est difficultas sic demonstratur; quia formalitas illa constitutiva per vos Dei amantis libere, aut denominativa illius vt sic non est amor necessarius, quatenus necessarius, tam re, quam ratione; itaque si amor necessarius quatenus talis amor est, & consideratur vt præcisus à quacunque formalitate distincta à seipso, non potest constituere Deum in esse amantis libere, quod ipse P. Suar. his verbis docet *sect. illa 9. num. 48. §. de voluntate vera*: [dicendum est in re ipsa non aliud fundamentum ex parte Dei ad talem relationem, seu denominationem (utique amantis libere) præter actum ipsum necessarium voluntatis D. i., non tamen vt est tantum necessarius in esse.] & ratio est manifesta, quia alias Deus posset per suum ipsum amorem, quo se ipsum amat, constitui in esse amantis libere se ipsum, & per terminationem talis amoris ad se posset dici terminari ad se ipsum libere; unde per productionem Spiritus sancti posset constitui Pater in esse producentis libere ipsum: patet consequentia, quia per amorem necessarium, quatenus formalissime necessarium, & quatenus formalissime præcisum à quacunque alia formalitate distincta à seipso, vt necessario potest constitui in esse amantis libere: atqui amor, quo se amat formalissime vt præcisus à quocunque alio est amor necessarius; ergo talis amor potest constituere Deum in esse amantis seipsum libere; ratio à priori est, quia absolute potest non esse denominatio libere volentis in Deo, & nihilominus denominatio amantis se ipsum non potest deficere in Deo, quia denominatio illa sumitur ab amore necessario: ergo evidenter sequitur, denominationem amantis libere non posse sumi ab amore necessario, vt necessario formalissime, alias eidem formalissime sub eadem ratione formatissima convenirent prædicata contradictorie opposita, quod est falsissimum, vt ex principiis evidentissimis Metaphysice, videlicet impossibile est idem simul esse, & non esse, admittis quidem ab adversariis patet.

Sed in Deo non datur alia formalitas, neque re, neque ratione distincta ab amore necessario: ergo nulla datur formalitas in Deo, à qua possit denominari libere amans. Patet consequentia: quia per vos ab amore necessario, vt necessario non constituitur in esse amantis liberi, sed per vos etiam præter amorem necessarium vt necessarium non est alia formalitas, à qua constituitur in esse liberi amantis: ergo per vos, & secundum vestra principia non est in Deo, à quo possit denominari liber v. g. si tu assereres, Patrem æternum per diuinitatem quatenus est prædicatum absolute, aut per omnipotentiam non posse opponi, & distingui à filio, & iterum assereres in Patre non esse aliam formalitatem, neque re, neque ratione distinctam à diuinitate, &c. sine dubio evidenter sequeretur, Patrem non posse

posse distingui, neque opponi filio aut si pertinaciter contenderes etiam si non daretur alia formalitas, aut re, aut ratione distincta à diuinitate, nihilominus opponi Patrem filio, & distingui ab ipso, sine dubio sequeretur, talem effectum, vel quasi effectum formalem distinctum, & oppositionis dari in Deo sine ratione formali constitutiva illius.

Dices, verum esse quod actus necessarius, vt necessarius non possit constituere Deum in esse amantis libere, nihilominus per terminationem intrinsecam liberam ad creaturas constitui Deum in esse amantis libere: verba Patris Suarez hæc sunt. *ubi supra*: [Dicendum est in re ipsa non esse aliud fundamentum ex parte Dei ad talem relationem, præter actum ipsum necessarium voluntatis Dei, non tamen vt est tantum necessarius in esse, sed vt est etiam liber quoad terminationem, & aliquam causalitatem; vnde hic respectus, seu denominatio non intelligitur tanquam resultans posito actu necessario ex parte Dei absolute & secundum se, & preintellecta creatura vt diligibili; nam his duobus stantibus, stat non sequi seu intelligi respectum, seu denominationem illam; intercedit ergo libera determinatio Dei quæ licet in se, ac formaliter non sit res noua in Deo, à nobis tamen concipitur per modum rei novæ ad fundandum respectum; vel certe illa determinatio in voluntate semper concipitur per modum alicuius causalitatis, per quam concipitur obiectum, tanquam mutatum aliquo modo, in ordine ad actualem existentiam sibi proportionatam, & ideo actus ille voluntatis in se necessarius vt habens vim libere cauendi, intelligitur ex parte Dei, vt sufficiens fundamentalis respectus. Non intelligitur autem ipse respectus seu denominatio resultare donec actus ille Dei exerceat suam vim liberam, seu causalitatem circa tale obiectum, in quo non ipse actus aliter se habet, sed facit vt obiectum aliter se habeat; & tunc intelligitur, quasi resultare huiusmodi respectus, & differt hic respectus à respectu scientiæ visionis vt sic.] Sic Pater Suar. & in primis solutio illius fundatur in hoc, quod licet actus necessarius, vt necessarius non possit constituere Deum in esse amantis libere, nihilominus posse illum ratione terminationis ad creaturas constituere Deum in esse amantis libere. Tunc sic de illa terminatione interrogo an sit formalitas alia siue re, siue ratione distincta ab actu necessario, vel non dicatur hoc secundum. Vrger argumentum supra positum, quia per te actus necessarius, vt necessarius non potest constituere Deum in esse amantis libere: ergo idem actus necessarius vt necessarius non potest constituere Deum esse amantis libere; alias idem quatenus idem, & sine vlla distinctione constitueret, & non constitueret in esse amantis libere, quod est summum absurdum & contra lumen naturæ, & tibi ipsi contradiceres manifeste; si quidem affirmares id ipsum, quod negas, & negares id ipsum, quod affirmas.

Sed terminatio illa ad quam confugis nullo modo distinguitur neque re, neque ratione ab amore necessario vt necessario; sed est idem ipse actus necessarius, quia sunt synonyma; (nam ea, quæ solo nomine differunt, vt gladius & ensis, & in re ipsa seu in obiecto, neque re, neque ratione distinguuntur, sunt synonyma): ergo si actus necessarius vt necessarius non constituit

Deum in esse amantis libere, nec potest constituere ipsum in tali ratione, neque synonymum illius, & quod est omnino idem cum ipso poterit constituere Deum in esse amantis libere, qualis est terminatio; vg. si aliquis diceret Ma cum Tullium esse principem eloquentiæ & negaret, Ciceronem esse Principem eloquentiæ; item si aliquis pertinaciter contenderet, gladium esse ferreum, ensen vero non esse ferreum, paternitatem in diuinis constituere Patrem, & simul diceret, primam relationem hypostaticam non constituere Patrem sine dubio irrideretur vt amens, quia de eodem affirmat, quod de eodem negat solum sub distincto nomine; sed per te actus necessarius nullo modo distinguitur à terminatione illa, sed potius est omnino idem cum terminatione: ergo terminatio ipsa non potest constituere Deum in esse amantis libere; vnde idem argumentum supra factum vrget contra terminationem si terminatio non est alia re, vel ratione distincta formalitas ab amore necessario.

Ergo si terminatio est formalitas constituens Deum amantem liberum, quem non potest ita constituere amor necessarius, vt necessarius, sine dubio dicendum erit, terminationem liberam, & amorem necessarium non esse omnino idem etiam ratione, & virtualiter, sed potius distingui ratione, & virtualiter à parte rei, etiam si realiter formaliter terminatio ab amore necessario non distinguatur, quod *subsecutione superiori* demonstravi contra ipsum Patrem Suarez, quia ea, quæ ita se habent, vt vni conveniat prædicatum contradictorium, & oppositum contradictorie alteri prædicato, quod alteri extremo convenit à parte rei distinguuntur virtualiter à parte rei, & formaliter per rationem, vt videtur in Paternitate diuina, & diuinitate, in intellectu diuino, & voluntate diuina, in ratione entis, & differentia creaturæ, quod latissime demonstrato *disp. 1. Metaphys. questione, Vtrum ens præfinitur à differentis*; sed terminationi libere convenit constituere Deum in esse libere amantis à parte rei; & tendere ad creaturas futuras, & existentes, & amori necessario non convenit terminari ad creaturas futuras, neque constituere Deum amantem libere &c. ergo amor necessarius distinguitur virtualiter, & per rationem formaliter à terminatione, & terminatio est alia formalitas distincta ratione, & virtualiter à parte rei ab amore necessario; sed actus liber Dei constituitur per terminationem illam intrinsecam ad creaturas, & per ipsum actum necessarium diuinæ entitatis: ergo addit supra illum aliquid virtualiter distinctum à parte rei, & ratione formaliter. Patet consequentia; quia actus liber Dei addit supra necessarium terminationem ad creaturas futuras &c. quia per talem terminationem, & actum necessarium constituitur, sicut vnum addit supra ens, indiuisionem, siue positum siue negatum, quia constituitur vltimo per illam supponendo rationem entis, cui aduenit nostro modo intellegendi indiuiso: sic similiter constituitur actus liber Dei vltimo per vos terminationem illa ad creaturas futuras, supponendo diuinum esse, cui adueniat nostro modo intelligendi terminatio: ergo addit supra diuinum esse necessarium terminationem illam; sed vt nuper probauimus, terminatio illa distinguitur virtualiter à parte rei, & ratione ab ipso actu necessario: ergo actus liber Dei addit supra actum necessarium aliquid virtualiter,

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 369

virtualiter, & ratione distinctum ab actu necessario, supposito quod per terminationem illam constituitur in esse amantis libere Deus, & non per amorem necessarium ut necessarium; quare solutio tua implicat in terminis.

Deinde intelligibile est secundum tua principia id, quod nunc asseris, videlicet, Deum constitui in esse libere amantis per terminationem, & aliquam causalitatem, quia per, *to, causalitatem*, vel intelligis actionem creatam, quae producit ad extra creaturas, & hoc à te ipso refutatum est *scilicet illa 9. num. 6.* nam prima opinio, quam refutasti *tali numero 6.* his verbis explicabat constitutionem actus liberi [prima igitur responsio est quorundam dicentium, huiusmodi actus liberos Dei nihil in Deo dicere, praeter extrinsecas denominationes, quia, Deum inquirunt velle aliquid extra se, nihil aliud est, quam in re illa aliquam mutationem facere pro aliquo tempore, vel aliquod esse illi conferre, quod est in potestate Dei facere, vel non facere; & cum facit, dicitur id velle, cum vero non facit dicitur nolle, non quia ipse aliter se habeat, sed solum quia res ipsa aliter se habet.] His verbis proposuisti primam opinionem constituentem actum liberum causalitatem creatam, quam postquam illis verbis proposuisti, his refellis: [nullo tamen modo defendi potest, primo iuxta principia fidei, quibus certum est, Deum non metaphoricè, & improprie, sed proprie amare, & velle;] & postquam loca Scripturae in medium posuisti, oppositum probantia, sic concludis: [ergo velle Deum aliquid, & illud facere, non sunt formaliter, & secundum rationem idem: sed ipsum facere, quod extrinsecum est Deo, effectus est ipsius velle, seu amoris eius, accedit quod iuxta vera Theologiae principia non omnis voluntas Dei, quae versatur circa obiecta creata, vel creabilia facit aliquam realem mutationem in ipsis formaliter ac immediate, ut est voluntas efficax, quae elegit praedestinos ad gloriam; de qua re dixi plura in 1. tomo 3. parte disp. 5. sect. 1. Secundo etiam ratione naturali improbat illa sententia &c.] ergo secundum haec tua verba non possunt stare alia supra posita, si intelligantur de causalitate, seu actione creata; quia alias idem actus liber constitueretur, & non constitueretur per causalitatem creatam, & praeterea incidere in sententiam denominantem extrinsecè actus liberos: ergo illa causalitas, per quam ais, constitui actum liberum debet esse aliqua formalitas intra ipsum Deum existens; de qua interrogo, an sit distincta re, vel ratione ab actu necessario? si non est distincta sed est omnino eadem cum actu necessario, & per te actus necessarius, ut necessarius non potest constituere Deum amantem libere: ergo neque illa causalitas, ut patet ex dictis.

Dices, illam causalitatem, & connotatum extrinsecum constituere Deum libere amantem; quia actus libere Dei praecisus à connotato extrinsecò non potest constituere Deum in esse libere amantis.

Sed contra manifeste, & insurgunt adversus hanc solutionem omnia argumenta *subsecutione praecedenti* posita, quia causa alicuius effectus, neque adaequate, neque inadaequate constituit suam causam, sed connotatum extrinsecum est effectus actus liberi: ergo conno-

tatum extrinsecum, neque adaequate, neque inadaequate potest constituere actum liberum. Item quia haec solutio incidit in opinionem Patris Herize supra à nobis oppugnatam, & quam oppugnat ipse Pater Suarez *loco nuper citato*: ergo connotatum illud, neque solum, neque simul cum alia formalitate potest constituere actum liberum.

Praeterea; quia in actu libero Dei datur intrinseca ratio, scilicet ratio intrinseca amoris, verbi gratia, ratio praedestinationis, quae constituit Deum intrinsecè praedestinantem, & intrinsecè ac formaliter denominat Deum amantem creaturam ad beatitudinem; ex qua constitutione, & denominatione intrinseca tanquam à causa, vel efficienti, vel formali resultat in creatura denominatio extrinseca praedestinata, & amata ad beatitudinem, quae denominatio est effectus, siue formalis extrinsecus, siue in genere causae efficientis respectu amoris intrinsecè existentis in Deo; sed effectus ille qui est denominatio extrinseca à ratione formali amoris liberi intrinsecè existente in Deo proveniens, nullo modo potest constituere formalitatem illam amoris intrinseci existentem in Deo: ergo nullo modo constituitur amor liber Dei à connotato illo extrinsecò. Minor illa sic demonstratur exéplis petitis à rebus creatis manifestissimis, nullus enim sanæ mentis potest dicere, denominationem extrinsecam resultantem in Petro v. g. & extrinsecè denominantem ipsum in esse amati, ex amore intrinsecò Pauli in ipso existente posse constituere ipsum amorem intrinsecum Petri in esse amoris intrinsecè existentis in ipso. Item denominatio extrinseca visi in pariete nullo modo potest constituere formaliter in suo esse formali visionem intrinsecè existentem in oculis, à qua dimanat denominatio supradicta extrinseca, cuius nulla alia ratio est, nisi quod effectus non potest constituere suam causam, & denominatio extrinseca non potest constituere formalitatem intrinsecam; cum autem esse amatum in Petro sit effectus amoris in Paulo existentis, & sic denominatio extrinseca, & amor existens in Paulo sit denominatio, & formalitas adaequate intrinseca, nullo modo potest constitui ab esse amato in Petro, alias denominatio adaequate intrinseca causaretur à denominatione extrinseca, & constitueretur ab ipsa; ex quo sequeretur evidenter non esse adaequate intrinsecam.

Sed denominatio praedestinati, aut futuri in connotato praedestinationis est denominatio extrinseca proveniens ut effectus à causa, à praedestinatione intrinsecè, & vitaliter existente in Deo: ergo nullo modo potest praedestinatio ipsa constitui formaliter ab ipso praedestinato sub ratione formali praedestinati.

Vergetur, ac declaratur amplius, quia quando responderetur nobis, terminationem, seu actum liberum cum connotato, seu dependentem ab illo Deum denominari libere volentem, supposito, quod in actu libero sunt duo, & terminatio, seu connotatio, quae se tenet intrinsecè ex parte Dei denominati, & creatum connotatum, quod se habet extrinsecè respectu Dei, & se tenet ex parte obiecti; inquiramus, an connotatum essentialiter formaliter, atque intrinsecè ingrediatur in effectum formali amantis libere, ut albedo ingreditur in al-

A A a b o 3

bo; vel tantum extrinsece, & in obliquo, sit extra essentiam effectus formalis, ut relatio paternitatis est extra essentiam generationis; si primum affirmetur: ergo extrinsecum connotatum admittitur ut pars essentialis, & ut constitutum quidditativum formale effectus, vel quasi effectus formalis amantis libere in Deo; unde sine dubio incidit adversarius in sententiam denominantium extrinsecè, quam ipse Suarez impugnatur. Neque hac responsione defendi potest illa causalitas; quia Deus realiter libere prædestinat, ideo creatura est vere, & realiter prædestinata (qua se nullius protegit, & oppugnat adversarios) quoniam ipse prædestinatus involvitur à priori in ipsa prædestinatione, & in constitutione formali Dei prædestinantis, & reduci debet ad genus causæ formalis, & non ad genus effectus; unde ipsa prædestinatio est causa formalis extrinseca effectus prædestinati, & ipse effectus prædestinatus iterum in eodem genere causæ formalis constituit ipsam prædestinationem; quod adeo absurdum est, ut nullus usquam ausus fuerit talia inconsiderate dicere; nam licet in diverso genere causæ asserant Thomistæ, idem posse esse causam & effectum respectu eiusdem, nihilominus tamen in eodem genere causæ formalis, aut efficientis &c. nullus docuit eandem rem esse causam, & effectum respectu eiusdem; Pater autem Suarez non solum in eodem genere, sed etiam in diverso negat mutuam causalitatem: ergo à fortiori debet negare prædestinatum esse causam formalem prædestinationis propter rationes dictas; has sine metaphora non deferretur libertas Dei per actum intrinsecum, & vitalem & daretur mutua causalitas in eodem genere.

Si autem secundum dicatur: ergo licet non daret denominationem illam sine extrinseco connotato; at tota essentia formæ denominantis Deo est intrinseca, ut scientia à scienti: atqui nihil entitatis ponitur intrinsecum Deo, præter entitatem actus necessarij, nec se nec ratione distinctum: ergo ponitur novus effectus formalis realis sine realitate, à qua proveniat &c.

Deinde non minus difficile est intellectu in tua sententia in omni actu libero, vel ad omnem actum liberum ponendum recurrere ad connotatum extrinsecum; quia licet multi actus habeant connotatum extrinsecum distinctum ab aliis actibus, nihilominus ut supra demonstravimus actus inefficaces, ut est ille, vult Deus omnes homines salvos fieri, nihil ponit in obiecto immediato; ut patet ex late ponderatis supra, & nihilominus est actus liber distinctus à quolibet alio, ut ipse P. Suarez docet: imò inter actus efficaces distincti actus dantur tendentes in idem obiectum, & nihilominus sine ulla mutatione ex parte obiecti habent suam distinctionem, & eodem modo se habentibus omnibus rebus existunt distincti actus liberi sola distinctione, & variatione se habente ex parte actuum liberorum, unde ablati imperfectionibus sicut ad constitutionem actus liberi creati, & ad variationem illius non confugimus ad connotata extrinseca propter indifferentiam intrinsecam, & propter dominium intrinsecum quod habet creatura circa suos actus: ita similiter ad constitutionem, & distinctionem actuum liberorum voluntatis divinæ

non debemus confugere ad connotata extrinseca, sed potius debemus hoc cognoscere intra ipsum Deum investigando rationes intrinsecas divinas à quibus oritur, & in quibus complete consumatur tota hæc ratio distinctio, contingentia, variationis, & indifferentia actuum liberorum. Unde si aliter hoc negotium consideretur à Patre Suarez, nescio quæ ratione tota sua doctrina satis sibi contenta sit; nam si volitio Dei libera ut sic connotat ut terminum aliquam creaturam eo modo, quo relatio terminum: ergo sicut sublato termino, non est relatio formaliter; ita sublata creatura non est volitio Dei libera: ergo non possunt varia decreta libera in Deo constitui nostro modo concipiendi ex sola infinita eminentia essentia divinæ sine connotatione diversæ rei, ut obiecti connotati, quod videtur negasse Pater Suarez impugnans ex instituto opinionem connotantium, & denominantium extrinsece; nam *tom. 1. in 3. p. disput. 5. sect. 1. & in opusculis lib. 1. de scientia contingentium, cap. 6. & lib. 1. de essentia prædestinati, cap. 15.* multis conatur probare non esse necessarium in quolibet decreto Dei, vel voluntate libera assignare variationem aliquam saltem ex parte obiecti; & tamen in metaph. d. 2. a. 30. sect. illa 9. num. 48. & 49. & 43. oppositum docet, sicut & *prologo, 2. de gratia cap. 8. num. 11.*

Præterea videns P. Suarez confugiendo ad connotatum, non posse satisfacere huiusmodi difficultatibus, ut exhaustas illas hæc verba profert, [intercedit] ergo libera determinatio Dei quæ licet in se, ac formaliter non sit res nova in Deo, à nobis tamen concipitur per motum rei novæ ad fundandum novum respectum, & novam denominationem, vel certe illa determinatio in voluntate emper concipitur per motum alicuius causalitatis, per quam concipitur obiectum, tanquam terminum aliquem eo in ordine ad actum exstantiam sibi proportionatam, & ideo actus ille voluntatis in se necessarius, ut habens vim libere causandi intelligitur ex parte Dei, ut sufficiens fundamentum talis denominationis, & respectus; in cuius prima parte solutionis, ut explicet quare, cum sit necessaria illa entitas actus, non denominet, neque constituat necessarium, sed potius quasi de novo resultat denominatio, docet hoc ideo contingere, quia determinatio illa actus liberi, licet vere non sit de novo, concipitur tamen à nobis, ut de novo adveniens, quæ solutio coincidet cum solutione aliquorum neotericorum negantium inter intellectum divinum, & voluntatem divinam tam distinctionem virtutalem, S. Thomæ, quam distinctionem formalem Scoti ex natura rei; & dicentium, ideo per intellectum generat Verbum realiter, & non per voluntatem realiter, quia intellectus, & voluntas, licet identificentur omnino realiter, distinguuntur tamen per rationem: quia cum distinctio non sit ratio formalis generandi, sed solum conditio, sufficere distinctionem rationis. Ita similiter Pater Suarez ait, licet non addatur aliter quid de novo supra actum necessarium, nihilominus concipi à nobis ac si adderetur de novo divina terminatio, & hoc sufficere, quia est quasi conditio solum.

Sed contra manifeste, quia talis conceptio vel

vel est vera, vel falsa; si vera: ergo adaequatur cum obiecto, ac proinde concipitur id quod in se est; unde si per vos concipitur vere addi de nouo terminationem liberam, sine dubio ita erit à parte rei, hoc est vere addetur realiter supra Deum determinatio libera; unde incidit in opinionem Caicani, in quam acriter iure quidem optimo inueheris.

Si autem falso concipitur illa additio de nouo nullius momenti erit ad praesens institutum; quia falsa, sine fundamento, & chimerica conceptiones nihil conducunt ad realitatem mysteriorum fidei, & ad veritatem decretorum Dei; nam sicut quod falsum est, nihil est, nihil potest conducere; unde sicut vnum oppositum non adiuvat alterum, sed potius destruit illud, ita non potest conducere ad veram explicationem alterius; atqui falsum est oppositum vero: ergo falsum, & falsa conceptio non potest conducere ad veritatem decretorum liberorum, neque ad contingentiam, & variationem illorum quare irridendae sunt tales conceptiones, & tales modi loquendi, quia nos non quaerimus in hac quaestione, quomodo concipiamus actus liberos, sed potius quaerimus de veritate, & realitate illorum quae ab aeterno existit, ad quod quid adiuvat conceptio in tempore falsa; unde sicut flocci penderetur, qui interrogatus quomodo cum Deus sit vnus, & idem in essentia, sit trinus in personis, & habeat distinctionem, & oppositionem realem inter illas, Responderet dicendo, quia nos concipimus distinctionem in essentia, ac proinde concipimus Trinitatem diuinitatis, sicut concipimus Trinitatem personarum. Certe hic conuinceretur argumento, nuper posito, quia conceptio illa falsa distinctionis in essentia nihil conducit ad mysterium reale, & verum; quia non ideo Deus ab aeterno est vnus in essentia, & trinus in personis, quia in tempore concipimus distinctionem in essentia; quia talis distinctio à nobis ficta non exhaurit difficultatem tanti mysterij, praecipue quia circa illud non interrogamus, quomodo nos concipiamus, sed potius quomodo res in se ipsis se habeant; quapropter sapientes Theologi, & Patres Ecclesiae, quando interrogati respondunt circa mysterium Trinitatis, vt tribuant rationem illius, vt in se est ab aeterno, non confugiunt ad conceptiones nostras falsas in tempore; (quia ridiculum omnino est dicere ideo ab aeterno datur vna essentia cum distinctione reali personarum, & hoc vere à parte rei; quia ego in tempore concipio falsae diuinam essentiam cum distinctione, alias tota veritas, & proprietates diuinorum mysteriorum inniteretur falsis principiis, ac proinde non essent vera mysteria, sed falsa, quia ex falsis principiis, non nisi falsa eruntur, semper enim conclusio falsa ex falsis principiis deducitur secundum illud principium Dialecticorum, ex falsis non nisi falsa, ex veris, aliquando vera, aliquando falsa, quia conclusio sequitur debiliorem partem; eo quod vt inquit Dionysius, & recipitur à tota schola, bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu) sed ad infinitam simplicitatem diuinæ essentiae cum infinita fecunditate, &c. de quibus late ago *tract. de Trinitate*, ergo similiter perperam confugitur ad falsas nostras conceptiones, dum interrogatus Theologus de mysterio actuum liberorum, vult rationem tribuere, cum cum ter-

minatio illa amoris Dei circa creaturas, neque re, neque ratione distinguatur ab actu necessario, nihilque sit, praeter ipsum actum, nihilominus possit constituere Deum in esse amantis libere, & denominare contingentem, quando ipse actus necessario nullo modo potest: ergo quod nos concipiamus terminationem illam per modum rei nouae, nullius momenti est ad hoc, vt ab aeterno de nouo denominetur amans, neque quod nos concipiamus deficere illud, aut posse deficere ratione contingentiae, quam nos concipimus in ipso nullius valoris est ad hoc, vt Deus ab aeterno sit indifferens, & ita amauerit, vt potuerit vere, & realiter non amare.

Deinde, & euidentius; quia ad effectus, vel quasi effectus reales quales sunt generatio Verbi per intellectum, & non per voluntatem, communicatio diuinitatis, non communicata paternitate, quod ita amet Deus, vt potuerit non amare libere, non solum requiruntur virtutes reales, sed etiam conditiones reales, & non sufficiunt conditiones rationis nec conducunt vt requisita entia rationis ficta per intellectum, quod patet euidenter, nam etiamsi potentia visiva fallatur, videndo caelum, & solem approximarum montibus in horizonte propter distantiam maximam, ac proinde ratione talis distantiae, & fallacia fingat approximationem illam, non ideo sol debet comburere montes, & mundum, & vniuersa sub-lunaria, quod sine dubio faceret, si haberet approximationem realem, qualis est illa, vel similem illi, quam fingit visus, imo si per intellectum aliquis fingeret, me esse approximatam summo Pontifici, & me Romae existere circa ipsum, non ideo ego possem videre realiter Pontificem; item si aliquis per rationem confingeret, animam D. Petri esse vnitam realiter materiae primae; non ideo anima D. Petri constitueret verum hominem realem.

Tandem si aliquis fingeret distinctionem rationis inter Petrum, & ipsum Petrum, non ideo posset Petrus separari realiter à se ipso, & mori Petrus, viuente realiter eodem Petro; cuius vniuersalis ratio euident nulla alia est, nisi quia approximatatio illa non est vera, & realis, & idem est de vnione, & distinctione, & mori, videre, comburere, &c. sunt effectus veri, & reales, ad quos quia reales sunt, non solum virtutes & causae formales, sed etiam conditiones, quales sunt distinctio, & approximatatio debent esse reales, & non sufficiunt rationis; quia quod nihil est realiter, nihil realiter potest facere, vel adiuvare; sed quod diuinitas communicetur filio à Patre, & non communicetur Paternitas ipsi, quod Verbum diuinum generetur per intellectum, & non per voluntatem, quod Deus ita amet creaturam, vt potuerit non amare illam, ac proinde libere amet cum indifferencia, & contingentia non sunt ficta, sed vera à parte rei: ergo conditiones ad tales effectus, vel quasi effectus reales, debent esse verè, & realiter à parte rei, & non sufficit, quod sint entia rationis, & per nostram mentem fingantur; quare si ad communicationem realem diuinitatis non communicata realiter, & verè paternitate, & ad generationem veram, & realem per intellectum, & vere, & realiter non per voluntatem, requiritur vt conditio necessaria distinctio inter diuinitatem, & Paternitatem, inter intellectum, & voluntatem diuinam, talis distinctio non debet esse per rationem neque sufficit, quod fingatur per intellectum, aut

concipiatur, ac si esset, sed necessario debet esse à parte rei, quod videntes tam Thomistæ, & cum eis Doctores Societatis, tam Scotistæ, & cum eis gravissimi alij Doctores hoc pro certo statuerunt, aut dandam esse distinctionem ex natura rei formalem sine fictione, quod Scotistæ eligunt, aut dandam esse distinctionem realem virtutalem per æquivalentiam, ut docent cum D. Thoma Thomistæ, & cum Patre Suarez & P. Molina graviores, & sapientiores Societatis Iesu Doctores. Alarcon oppugnat §. unde concedere huiusmodi distinctiones à parte rei non est onerare res, ut perperam docet Alarcon, sed potius exonerare res difficultatibus, & tenebris, obscuritatibus, ac nebulis æquivocationum & sophismatum, ad quas se confugiant, tanquam delinquentes, & male agentes, qui neglectis huiusmodi distinctionibus se se ad confusa noctis entis rationis, & fictionis tenebras confugiant.

Ex quo sequitur, ut hic auctor incidit in quædā modum absurdissimum loquendi, & viro catholico omnino fugiendum, cuius inordinatio forte non est in nucleo sed in cortice, non in sensu sed in verbis; atqui, ut ait Hyeronimus, non solum ex inordinato sensu, sed etiam ex inordinato modo loquendi incurritur hæresis, quam non assero de hac propositione, quia Iudicibus Ecclesiæ relinquo, sed solum affirmo, novissimam esse, verba huius auctoris sic se habent 1. *p. tract. 3. de volunt. Dei, disp. 4. cap. 6. num. 12. §. tandem.* [Quando dicimus Paternitas realiter non communicatur, & essentia realiter communicatur; non possumus non involvere distinctionem formalem per intellectum; quia nomen essentia, & relationis Paternitatis non significat illa duo prædicta, ut in se sunt, ac proinde non provit inter se identificata, sed potius vt distincta, & propterea dicimus, vnum communicari, & alterum non communicari realiter; quibus verbis non significamus communicationem vnius vt in se est, & negationem communicationis, sed provit à nobis concipiuntur, cum à parte rei non sint essentia, & paternitas vt duo; & impossibile est nos de illis, vt de duobus loqui, quin duo per intellectum faciamus; atque adeo nihil mirum, si contradictoria prædicata enunciemus, quia de duobus subiectis esse, & non esse prædicari simul potest.] inter hæc omnia verba illa durissima sunt, [& propterea dicimus, vnum communicari, & alterum non communicari realiter, quibus verbis non significamus communicationem vnius vt in se est, & negationem communicationis, sed provit à nobis concipiuntur.] nam interrogo à te an quando dicimus, paternitatem non communicari, & divinitatem communicari, significamus, & concipiamus hoc negotium cum veritate, vel cum falsitate; si cum falsitate: ergo falsum est dicere, divinitas communicatur filio à Patre, & non communicatur paternitas; atqui fides catholica docet hoc ipsum: ergo fides catholica docet falsum; sed hoc est hæreticum aperte, ut ex terminis patet, siquidem non solum asseueranter docere falsi fidem catholicam est in hæresim incidere, sed etiam quod minus est dubitare de rebus à fide dictis, & in dubium revocare dogmata fidei: ergo nullo modo est dicendum catholico, falso nos concipere, & loqui, quando dicimus, divinitas communicatur, & non communicatur paternitas; unde necessario dicendum est, vere nos concipere; quando ita loquimur, & concipimus; sed vera loquutio, & conceptio adæ-

quat cum obiecto de quo loquitur, & quod concipit, & adæquari loquutionem cum obiecto, & conceptionem vere significare illud est significare ipsum vt in se est. (vt patet ex dictis de veritate formali propositionis; & tu ipse data opera doces tom. in 1. *p. tract. 5. de Trinit. disp. 8. cap. 4. & disp. 5. cap. 5. pagina 447. & 448. & tract. 6. disp. 2. cap. 5. num. 11. & 14. & tract. 5. disp. 5. cap. 5. num. 5.* Quæ definitio adæquationis cum obiecto, seu veritatis formalis propositionis admittitur ab omni schola, & docetur ab Aristotele lib. 1. *Post. cap. 1. & lib. Perier. cap. 4.* quod adeo verum est, vt hucusque nullus in dubium hoc negotium revocaverit: ergo si illa propositio, videlicet, divinitas communicatur, non communicata Paternitate; quia est vera adæquatur cum mysterio, quod significat, videlicet cum communicatione ad intra divinitatis, & cum non communicatione reali ad intra Paternitatis, sine dubio illa propositio, & illa verba significant communicationem, & non communicationem, seu negationem communicationis Paternitatis vt in se est: ergo periculosissime & absurde loqueris, quando dicis, [quibus verbis non significamus communicationem vnius vt in se est, & negationem communicationis, sed provit à nobis concipiuntur,] nam his verbis aperte doces, non dari à parte rei communicationem divinitatis cum negatione communicationis Paternitatis, sed solum nostro modo concipiendi, ac proinde doces, falsam esse conceptionem, & significationem loquutionis, & aliter contingere rem; ac concipitur à nobis, & sic conceptionem esse alienam à veritate, & falsam, v. g. quando aliquis concipit montem aut cælum ceruleum, aut solem in magnitudine instar rotæ currus, tunc enim dicimus ad significandam falsitatem conceptionis et nos non significare solem, montem & cælum provit in se est, sed provit à nobis concipitur, & tunc particula; sed munere fungitur aduersative, aduersaturque illis verbis provit in se est, quomodo loquendi plene, & plane falsas esse tales loquutiones, falsitatisque vitio laborare huiusmodi conceptiones: ergo si per te quando dicimus divinitas realiter per generationem æternam vere communicatur filio à Patre, & non communicatur verè Paternitas significamus res, non provit in se sunt, sed provit concipiuntur à nobis, sine dubio per te falso concipiemus, loquimur & significabimus, ac proinde loquutio fidei falsa erit, quod est hæreticum: ergo si hoc non est dicendum, sine tergiversatione affirmandum est illis verbis verè nos loqui, & significare res, ac proinde significare illas provit sunt in se, & non solum provit concipiuntur à nobis, & sic non provit concipiuntur à nobis aduersative, seu aduersantur, aut opponendo se particula illi provit in se sunt; unde falsa erit illa tua loquutio, quibus verbis, &c.

Deinde, si hæc propositio fidei catholice, de qua hic loquimur, divinitas communicatur, &c. est vera: ergo obiectum eius à parte rei est, vt significatur, quia ex eo quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa; nam vt propositio significans sit vera, debet obiectum significatum per illa esse tale in se, quale significatur per propositionem; unde si propositio non significet rem vt in se est, sed solum vt concipitur à nobis, non erit vera; sed per te illa propositio, quia est de fide catholica est vera omnino, & infallibilis: ergo non solum significat communicationem divinitatis

diuinitatis & negationem communicationis paternitatis, pro. t. à nobis concipitur, sed potius vere, & proprie, vt in se est; vnde loquutio tua est omnino falsa, & absurda.

Præterea; quia notabilis est ille modus loquendi, nimirum nomen essentia, & relationis paternitatis non significat illa duo prædicata, vt in se sunt, ac proinde non prout inter se identificata, sed potius vt distincta. Nam nomen Essentia, & nomen Paternitas inuenta sunt ab Ecclesia catholica & à Conciliis omnibus accommodata ad significandam diuinitatem, & primam relationem hypostaticam cum veritate: ergo ad significandas illas prout in se sunt, sed prout in se sunt, nō sunt distincta à parte rei formaliter: ergo nomen essentia, & paternitas non significant duo illa prædicata vt distincta, alias nomina falsa introducta essent à tota Ecclesia, significantia rem aliter ac est in se, quod est absurdum; ergo si sunt vera, & non falsa, talia nomina, quibus vitur Ecclesia reuelatione Spiritus sancti sine dubio significabunt Deum non aliter, ac est in se, sed vt est in se: sed vt in se est non habet distinctionem à partem formalem inter essentiam, & paternitatem: ergo nomina illa non significant diuinitatem, & paternitatem distinctas; quod vt evidentius pateat, aduerte, quod illa nomina sunt talis conditionis, vt si solis illis vtamur in Trinitate, dicendo, datur vere diuina essentia, & paternitas, maxime catholice loquamur; si autem addamus cum Gilberto Porretano paternitas, & diuinitas distinguuntur realiter, non catholice sed heretice loquemur, & si dicamus, paternitas, & diuinitas distinguuntur, vel virtualiter, vel formaliter per intellectum, vel formaliter ex natura rei, non loquemur purè secundum fidem catholicam, quia non dicimus articulum de fide purum qualis est hic; datur diuina essentia, & relatio paternitatis: ergo evidenter sequitur hunc modum loquendi non involuere in se distinctionem, quia si illam involueret, non purè catholicè, sed opinatiue loqueremur: ergo falso asseris, dum dicis; [quia nomen essentia, & relationis paternitatis non significat illa duo prædicata, vt in se sunt, ac proinde non prout inter se identificata, sed potius vt distincta;] nam sicut Concilia & Patres accommodauerunt hæc vocabula constitutioni Patris ad significandam illam cum veritate, ita absolute sumpta significant constitutionem primæ personæ, vt in se est, & vt concipitur ab Ecclesia tota; nam nomina significant res, & conceptus, & ideo optime aiebat Seneca lib. i. de beneficiis, nomina significare secundum intentionem introducentium, & inuenientium ipsa; hoc est secundum quod concipiunt qui inueniunt, & introducunt ea; vnde D. Thomas super Periherm. Aristot. lib. i. sect. 4. docet, conceptus esse regulas significationis nominum; atqui tota Ecclesiæ intentio, & conceptio dirigitur ad significandam identitatem inter diuinam essentiam, & paternitatem: ergo nomina illa absolute prolata secundum fidem catholicam significant distinctionem inter diuinitatem & relationem: sed potius identitatem inter ipsas: ergo falsissime loquitur aduersarius dum asserit, ideo essentiam, & paternitatem non significare rem, vt in se est, quia non significant identitatem diuinitatis cum paternitate, sed potius distinctionem inter ipsas.

Tandem in vltima parte docet ideo prædicari duo contradictoria, scilicet communicari, & non communicari de paternitate, & diuinitate, ac

proinde illis conuenire talia prædicata, quia distinguuntur per rationem. In quo coincidit cum solutione nuper refutata neotheticorum, quod etiam falsum reputo propter demonstrationes supra factas, quia distinctio rationis, vt dixi, quia conditio est ad communicationem, & non communicationem realem non debet esse distinctio rationis, sed realis; sed hæc non potest esse formalis, quia non decet Deum vt supra late demonstrauimus *disput. de Ente, Quæstione, Vtrum ratio entis præscindatur ex natura rei à differentiis*, eo quod opponitur omni identitati diuinæ: ergo eligenda est distinctio virtualis, eminentialis, & æquivalentiæ, quomodo & digne loquimur de Deo & cum veritate.

Tunc sic amare & non amare Deum libere petit pro conditione necessaria variationem, contingentiam, additionem, & diminutionem, &c. sine quibus nullo modo potest Deus contingenter amare, & indifferenter diligere; ac tandem ita amore prosequi creaturam, vt potuerit dilectione non afficere illam; ergo tales conditiones ad hos amores liberos, veros, proprios & reales non debent esse entia rationis, nec fictæ per intellectum, sed necessario debent esse requisita, & conditiones reales, vt patet ex supra demonstratis; vnde contingentia debet esse realis, additio, diminutio &c. similiter sed non datur, nisi duplex contingentia, additio, & diminutio realis, alia Caietanica, qua asserit, actus liberos Dei ita esse contingentes formali contingentia à parte rei, vt possint formaliter essi, corrumpi, & desinere realiter, & separari realiter à Deo: atqui hæc reprobat à Patre Suarez, & virtute anatematizatur à fide catholica, vt *sectione sequenti* videbimus, ac proinde non potest eligi ab ipso Suarez. Alia contingentia, additio, & diminutio datur, quæ non est formaliter, sed solum virtualiter, eminenter, & æquivalenter ratione summe puritatis, infinite perfectionis, actualissimæ excellentiæ, & eminentiæ diuinæ, qua æquivaler Deus contingentia & desitioni, seu additioni, & diminutioni creatæ, in quo nihil derogatur diuinæ perfectioni, sed potius maxime extollitur eius maxima excellentia: ergo sicut ad cognoscenda, & concilianda prædicata identitatis inter perfectiones diuinas, & communicationem, & non communicationem; hoc est contradictorias formalitates, admittitur sine præiudicio vllō distinctio virtualis inter illas; ita similiter sine præiudicio aliquo, imo potius cum laude maxima ad conciliandam formalem, & realem necessitatem in essendo cum indifferencia, & libertate decretorum liberiorum Dei necessario admittenda est contingentia æquivalentiæ, additio, & diminutio virtualis, sine qua non exhauritur difficultas huius mysterij, neque sine illa solvuntur difficultates, dicendo solum, ideo Deum posse amare, & non amare, habereque indifferenciam ratione determinationis, quia licet in se, ac formaliter non sit res nova in Deo, à nobis tamen concipitur per modum rei novæ, vt patet ex iam dictis.

Sed demum, ens rationis posse esse conditionem ad effectus, vel quasi effectus reales; nihilominus tamen tale ens rationis non solum debet esse futurum & possibile, sed actuale, quando actualiter dantur effectus, vel quasi effectus; nam conditio & prærequisitum ad aliquid debet esse in eadem mensura durationis, in qua est effectus, vel quasi effectus, ad quem requiritur; vnde si approximatio agentis ad

intellectus, quæ sunt conditiones ad amorem, & ad agendum, non sunt actuales, sed solum futuræ aut pure possibiles, nullo modo potest dari amor actualis, & actio præfens circa passum, & ratio est, quia quod futurum est, & pure possibile, ac proinde nondum præfens, & actuale, nihil est simpliciter, ac proinde nihil potest facere, aut conducere; sed distinctio rationis, quæ à nobis fingitur inter intellectum, & voluntatem diuinam actu ab æterno non est præfens, sed potius futura, aut pure possibilis, & idem est de additione supra actum necessarium: ergo talis distinctio, & additio non possunt esse conditiones sufficientes ad generationem Verbi per intellectum, & non per voluntatem, & ad amorem liberum creaturarum, quia talia prædicata sunt actu ab æterno, & additio, & distinctio illæ rationis non sunt ab æterno actu, sed in tempore; alias entia rationis essent maioris efficacitatis in ratione conditionis, quam conditiones reales; quod incredibile omnino est. Vnde talis conditio rationis nullius momenti est ad præfens institutum.

SUBSECTIO VLTIMA.

Efficacius, ac postremo oppugnatur sententia Adversariorum.

IN vltima parte illius solutionis docet Pater Suarez, mutationem factam in obiecto non physicam, sed obiectiuam esse rationem propter quam deus ita amat contingenter vt potuerit non amare, eo quod illa mutatio obiectiua potuerit non esse, cum sit.

Sed contra; quia mutatio illa obiectiua, hoc est denominatio illa prædestinata in creatura, &c. sunt denominationes extrinsecæ provenientes tanquam à forma extrinsecâ à prædestinatione diuina, & actiua existente in Deo; sed talis prædestinatio diuina est non alia formalitas, neque re, neque ratione distincta ab amore necessario: ergo est forma extrinsecâ talis mutationis necessaria; quia quod nullo modo distinguitur ab alio est idem ipsum; & præterea nullam in se habet contingentiam per se in se, quia si illam haberet in se, vt tribueres rationem indifferentiæ talis actus, non deberes, neque cogereris confugere ad contingentiam extra deum in mutatione obiectiua existentem: ergo talis mutatio obiectiua, seu denominatio extrinsecâ formalis prædestinati est omnino necessaria, & nullo modo contingens. Patet consequentia; quia quoties forma denominans est omnino necessaria, constitutio extrinsecâ effectus formalis illius & denominatio formalis extrinsecâ procedens à tali forma, nullo modo est contingens, sed omnino necessaria, vt exemplo manifestissimo euidenter demonstratur; amor necessarius simplicis complacentiæ terminatus ad possibilitates creaturarum, ex eo quod illæ conuectantur cum omnipotentia, & vice versa omnipotentia cum illis formaliter, necessario, & non libere, seu contingenter denominat ipsas dilectas, & talis denominatio extrinsecâ formalis est omnino necessaria, nullam habens contingentiam, neque indifferentiam ad non ensendum; quia forma, à qua procedit talis denominatio est omnino necessaria, & nullam in se habens contingentiam; atq; non alia formalitas, aut re, aut ratione distincta ab illo amore, sed ipsa formalitas

amoris, hoc est eadem omnino denominat formaliter, & mutat formaliter obiectiue creaturas denominando eas prædestinatas, & futuras: ergo talis denominatio, & mutatio obiectiua formalis est omnino necessaria, & minime contingens sine vlla ratione indifferentiæ: ergo illa non potest constituere deum in esse amantis contingenter, indifferenter, & libere, quia nemo dat quod non habet, neque constitutum formale potest dare esse constituto suo quod non continet formaliter; vnde lux licet contineat eminenter calorem, quia formaliter non continet illum, formaliter non constituit calidum, sed lucidum tantum; sed mutatio illa obiectiua, aut denominatio extrinsecâ formalis obiecti nullo modo continet indifferentiam, libertatem, & contingentiam formaliter: ergo nullo modo potest constituere Deum in esse libere, indifferenter, & contingenter amantis.

Quod argumentum mutata etiam sola materia habet suam vim, & robur in casu, quo negetur, mutationem illam obiectiuam esse denominationem extrinsecam procedentem in genere causæ formalis à prædestinatione diuina, seu actu libero; nam etiam si hoc dicatur, non potest vilo modo negari, & infirmari talem mutationem provenire tanquam à causa à Deo volente, & decrenente; quia per talem mutationem transit creatura de statu puræ possibilitatis ad esse futurum, & prædestinatum, & creatura à seipsa non potest transire de vno statu ad alium statum sine decreto, & volitione diuina; quia omnis creatura non est ens à se, sed ab alio; atqui eo modo est effectus quoad necessitatem & indifferentiam, seu libertatem, qualis est causa; vnde lux orta à sole, & calor productus ab igne non sunt effectus liberi, sed necessarij necessarij o orti, causati, & fluentes à causa: sed volitio aut decretum Dei, quod est causa quasi in genere efficientis, nullo modo est distincta ab amore necessario, ac proinde est omnino necessaria sine vlla contingentia in seipsa: ergo talis mutatio obiectiua quæ vt effectus oritur, & causatur ab hoc amore, est omnino necessaria sine vlla indifferentia, & contingentia: ergo iterum ipsa mutatio obiectiua non potest constituere Deum in esse libere, & indifferenter, aut contingenter amantis.

Declaratur, & virgetur amplius; quia quando dicis terminari Deum libere, & contingenter, seu indifferenter determinari ad hanc creaturam, & per eam determinationem recipere creaturam novam denominationem in ordine ad existentiam, seu novum respectum, & habitudinem ad illam, certe non terminatur ad creaturam per actum necessarium vt sic, quia ille omnia creata possibilia æque indifferenter sine vilo discrimine, & differentia respicit: sed ex alio capite aperte non terminatur ad illam per aliquid aliud, seu per aliquod additum re, aut ratione: ergo actus liber vt sic secundum tuam principiam nihil est reale; vnde à republica entium realium exultat ille in tua opinione, & constituit solum actum necessarium, vt si quis diceret, in Verbo diuino non esse formalitatem re, aut ratione distinctam à diuinitate, de medio tolleretur sine dubio diuinas personas, de medio tolleretur sine dubio diuinas productiones ad intra, & oppositiones, ac productiones ad extra, & oppositiones, & exinde etiam si maxime extolleretur diuinitatis excellentiam, nullo modo posset defendere per eam lentiam, nullo modo posset defendere per eam solam Verbi diuini constitutionem, oppositionem, & distinctionem respectu Patris, & Spiritus sancti, & ratio est, quia diuinitas per seipsam vt talis nullo modo opponitur, & distinguitur à

Pater

Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 375

Patre realiter; quia est de constitutione essentiali illius: ergo neque potest per illam, & ratione illius ut sic distinguere filius à Patre realiter, & opponi realiter ipsi; sed in illo casu in Filio, aut Verbo divino non daretur alia formalitas, non solum re, imo neque ratione distincta ab ipsa diuinitate: ergo nullo modo daretur formalitas in Verbo, per quam distingueretur à Patre, & opponeretur ipsi, etiam quamvis diuinitatis excellentia nimis extollatur.

Ita similiter per te actus necessarius in se, & ut sic non constituit Deum in esse amantis libere, sed potius constituit ipsum in esse amantis necessario omnino sine ulla indifferentia; item per te connotatum extrinsecum nullo modo constituit Deum formaliter in esse libere amantis, quia in Deo esse libere amantem neque adequatè, neque inadèquate formaliter est denominatio extrinseca; sed potius perfectò intrinseca adequatè, quia adequatè vitalis, & adequatè exercitium voluntatis, cuius conditio est ut sit intrinsecum adequatè, ut videre est in exercitio voluntatis angelicæ & humanæ, quod quia adequatè exercitium est potentie vitalis, & in se ipso est viuere, adequatè est intrinsecum, & minime, neque adequatè, neque inadèquate constituitur per connotatum extrinsecum, etiam si necessario & essentialiter respiciat illud quia omnis actus vitalis, sicut specificatur ab obiecto essentialiter respicit illud; sed actus liber Dei est volitio adequatè formalissime, & est viuere adequatè in Deo: ergo adequatè est intrinsecum ipsi, ac proinde non debet constitui, neque adequatè, neque inadèquate, per connotatum extrinsecum, etiam si respiciat illud vel connotet ipsum; sicut in tua sententia, imò in sententia omnium catholicorum Pater æternus formalissime in quantum Pater respicit Verbum diuinum, & nihilominus Pater æternus nullo modo constituitur in esse Patris per Verbum diuinum.

Item quatenus amat creaturas possibiles amore complacentiæ, connotat illas necessario, ac formalissime, & nihilominus formalissime non constituitur in esse amantis ipsas per eandem ut amatas, sed potius adequatè, & totaliter per formalitatem vitalem intrinsecam amoris existentis in ipso, cuius nulla alia est ratio, nisi quod talis amor licet connotet creaturas, est viuere Dei, ac proinde non debet constitui per aliquod extrinsecum; quia alias ex vi talis constitutionis esset denominatio extrinseca; quia quotiescunque forma constitutiva alicuius est extrinseca, constitutio illa est per denominationem extrinsecam, ut videre est in ipso amato creaturarum possibilem, in esse viso, & intellecto parietis, &c. ergo si amare libere creaturas est viuere formalissime in Deo, adequatè debet esse intrinsecum in ipso, ac proinde debet constitui a se adequatè à formalitate intrinseca; & nullo modo ab aliqua ratione formali extrinseca extra Deum existente; atqui connotatum creatum non est intrinsecum Deo, sed potius omnino extrinsecum respectu ipsius: ergo nullo modo constituit Deum in esse libere amantis; atqui præter actum necessarium per te, & præter connotatum, à quibus ut sic nullo modo constituitur in esse libere amantis, non datur alia formalitas re, aut ratione distincta in Deo; (quia nihil, aut re, aut ratione distinctum additur actui necessario) à qua possit constitui in tali esse: ergo nullo modo datur effectus, vel quasi effectus formalis in Deo amantis liberi; quia in subiecto ubi non datur for-

malitas, aut ratio formalis constitutiva alicuius effectus, nullo modo potest dari talis effectus, vel quasi effectus formalis; quia ratio formalis est de essentia, & quidditate ipsius; sed res sine quidditate, & essentia, neque intelligi, neque esse potest, ut patet ex definitione quidditatis: ergo effectus, vel quasi effectus amantis libere non potest dari in Deo; quia non datur in ipso formalitas, à qua constituitur; quia denominatio libere volentis realis debet esse, non extrinseca per te, non actus necessarius per te, & præter actum necessarium nihil aliud datur re, aut ratione, à quo possit sumi talis denominatio: ergo nullo modo datur illa.

Dices, talem esse actualissimam eminentiam diuinæ voluntatis necessariæ ut adhuc his principiis suppositis, possit Deus ratione infinitatis illius amare, & non amare creaturas; quod licet non rectè capiatur, fatendum est inquit, quia excellentia diuinæ volitionis superat captum creatum.

Sed contra, quia licet detur summa eminentia infinita in Deo, non potest ratione illius concedi, quod detur effectus, vel quasi effectus formalis sine ratione formali existenti in ipso; quia hoc implicat in terminis eo quod implicet, rem sine essentia, & quidditate esse; quia erit, & non erit; atqui in Deo, neque ratione infinitæ eminentiæ, neque ratione infinitæ excellentiæ potest fieri, ut simul res sit & non sit: ergo non potest fieri ut res sit sine quidditate adhuc ratione eminentiæ diuinæ; sed ratio formalis est quidditas effectus, vel quasi effectus formalis; v.g. formalitas amoris liberi est quidditas amantis libere: ergo ratione eminentiæ diuinæ non potest fieri, ut Deus sit amans libere sine libero amore; sed in Deo per vos, etiam si detur eminentia, non datur in ratione amoris, nisi amor necessarius, quia in ratione amoris non datur formalitas re, aut ratione distincta ab amore necessario: & per vos amor necessarius non est formalitas constituens amantem liberum: ergo per vos nulla potest dari formalitas constituens amantem liberum, ac proinde non poterit dari amor liber, à quo possit constitui in esse amantis liberi: ergo non datur in Deo amans libere, etiam si detur summa eminentia in Deo: exemplo, clarissimo demonstratur hoc.

Quia tota eminentia, & infinita excellentia, quam appingimus volitioni diuinæ ad amandum creaturas, provenit illi non ratione volitionis ut sic communis Deo, & creaturis, ut ex terminis patet; sed potius ratione differentie diuinæ increate, & imparticipatæ: ergo eadem eminentia, infinitudo, & excellentia datur in intellectu, & voluntate diuinis ad generandum Verbum quatenus intellectus, & non generandum illud quatenus voluntas, & in diuinitate ut communicatur Filio, & in Paternitate, ut non communicetur ipsi.

Tunc sic, etiam si concederes tu eminentiam in intellectu diuino, & infinitam excellentiam ut debes concedere; item si eandem concederes in diuinitate, & ex alio capite diceres, ex vi intellectus ut sic solum produci Verbum, & non Spiritum sanctum, & adhuc supposita tali eminentia contenderes, & affirmares in Deo nullo modo dari aliam formalitatem; aut re aut ratione distinctam ab intellectu, evidenter fatendum tibi esset in Deo nullo modo produci Spiritum sanctum, quia in Deo nulla daretur formalitas, ratione cuius posset produci, quia per te

per

per intellectum non producitur, etiam si sit eminentissimus; sed per te etiam præter intellectum, (etiam si habeat summam eminentiam, excellentiam, & infinitatem Deus,) non datur alia formalitas re aut ratione distincta ab intellectu, per quam possit produci Spiritus sanctus: ergo nullo modo per te potest produci ille.

Dices, posse produci Spiritum sanctum; quia non negatur formalitas voluntatis, sed solum asseritur, non distingui ab intellectu; neque esse aliam re, aut ratione distinctam ab illa; sicut quando dicimus, diuinam essentiam neque re, neque ratione distingui à diuinitate, non negamus dari in Deo diuinitatem, sed solum negamus distinctionem inter essentiam & diuinitatem.

Sed contra manifeste; quia hæc solutio implicat in terminis; nam ideo per te non potest villo modo concedi, licet datur diuinitas, & essentia diuina, quod essentia diuina conueniat prædicatum contradictorium oppositum prædicato conuenienti essentia, verbi gratia, nullo modo potest à parte rei, diuinitas communicari Filio & non communicari essentia diuina; neque essentia diuina potest generare Filium, quem non potest generare diuinitas, nisi Pater, hoc est persona prima; Item ideo non potes dicere, Paternitatem non communicari Filio & personalitatem Patris, aut relationem primam hypostaticam communicari ipsi, & tota ratio est, quia diuinitas & essentia, etiam si dentur in deo, neque re, neque ratione distinguuntur. Item Paternitas non est alia, aut re, aut ratione à Personalitate Patris, & hac de causa non possunt conuenire illis prædicata contradictorie opposita; & è contra ideo Pater generat Verbum, & non essentia diuina, quia Pater supra essentiam diuinam addit personalitatem, aut relationem Paternitatis re virtualiter, & ratione formaliter distinctam ab essentia diuina. Item diuinitas communicatur à Filio, & Patre Spiritui sancto, & non communicantur ipsi relationes filiationis, & Paternitatis; cuius nulla alia ratio est, nisi quia Pater, & Filius præter diuinitatem habent alias formalitates distinctas, vt dixi à diuinitate.

Si autem etiam si diuinitas sit eminentissima, nullo modo distingueretur, neque formaliter à parte rei, vt est certum; neque virtualiter, & ratione nullo modo possent affirmari de illa prædicata contradictorie opposita; quia duo contradictoria simul vera hoc est affirmatio, & negatio eiusdem rationis omnino re, & ratione respectu eiusdem termini in eodem tam re, quam ratione, etiam si confugiamus ad eminentiam, & infinitatem; nullo modo possunt verificari simul in ipso Deo propter illud principium euidentissimum; impossibile est, idem simul esse, & non esse; sed generare, & non generare, communicari, & non communicari sunt affirmatio, & negatio; ergo si sunt in eadem formalissima ratione diuina sine vlla distinctione re, aut ratione, erunt duæ contradictoriae veræ simul, sicut sine dubio essent duæ contradictoriae simul veræ, si tu assereres, diuinitatem communicari Filio, & essentiam diuinam non communicari ipsi, etiam si nomina sunt distincta, sicut si diceres, Deus est creatura, ens increatum non est creatura, sed non possunt verificari, duæ contradictoriae adhuc in Deo; ergo debet dari aliqua distinctio in his, de quibus prædicantur simul & verificantur affirmatio, & negatio; vel negandum est omnino, verificari vtrumque simul, sed potius quia verificatur affirmatio, ex eo quod sit eadem formalissima entitas, de qua verificatur

prædicatum affirmatiuum non posse verificari negationem: ergo si voluntas diuina est omnino idem cum intellectu diuino; non potest verificari de intellectu diuino, quod generet Verbum, & non producat Spiritum sanctum, & de voluntate diuina, quod producat Spiritum sanctum, & non Verbum; vnde si pertinaciter asseris intellectum vt intellectum non producere Spiritum sanctum, sed solum Verbum, & intellectum nullo modo distingui à voluntate diuina, ac proinde in deo, præter intellectum non dari aliam formalitatem villo modo distinctam, neque re, neque ratione ab intellectu, per quam possit produci Spiritus sanctus, si non vis incidere in duas contradictorias simul veras, quarum vis non frangitur, minuitur, aut debilitatur per sola diuersa nomina significantia eandem omnino formalitatem, (qualem asseris esse formalitatem intellectus significatam per duo illa nomina intellectus, & voluntas, alias de eodem sub nominibus gladij, & ensis verificarentur simul affirmatio, & negatio, quod sit ferreus & non sit ferreus; quod est ridiculum, & fomniantium desiderium,) necessario debes asserere nullo modo produci Spiritum sanctum; quia nulla formalitas datur in Deo, cui correspondere possit, supposito quod per te non potest correspondere intellectui, etiam datur omnimoda eminentia in Deo.

Tunc sic per te constitutio amantis libere in Deo non responderet amoris necessario, etiam si habeat infinitam eminentiam; sed per te non est alia formalitas in Deo, præter amorem necessarium, vt possit correspondere talis constitutio; ergo per te nulla est formalitas, cui possit correspondere illa; sed non potest dari in Deo, etiam ratione eminentia, vt iam supra demonstraui, constitutio aliqua sine formalitate existente in deo, cui correspondeat; ergo secundum tua principia, etiam si confugas ad eminentiam (cum in re tollas illam, licet in verbis solis concedas, vt eludas apparenter vim demonstrationis,) debes dicere, Deum non amare libere, sed solum necessario. Neque villo modo constitueretur per te in esse amantis liberè, quoniam eminentiam diuini esse, licet sit supra caput naturæ intellectualem, & rationis naturalis creatura, non tamen debet esse contra rationem ipsam, quale est mysterium Trinitatis, quod licet demonstrari non possit, non tamen demonstratur esse contra rationem naturalem; at vero esse, & non esse contradictoria maxima, & immediata oppositio est, quæ nullatenus verificari potest à deo in eodem respectu eiusdem omnino; ergo si actus necessarius per te non est constitutus Deum amantem liberum, ipsi omnino implicat simul constituere eundem Deum amantem liberum respectu eiusdem creaturæ; sed nulla formalitas datur amoris in Deo quæ non sit ipse amor necessarius: ergo nulla formalitas datur in Deo, quæ possit constituere ipsum Deum in esse amantis liberè.

Vt autem omnino præcludantur aditus solutionibus aut dumeta relinquantur, ad quæ confugiant aduersarij, vt fugiant vim demonstrationum, non possum non mirari, quod neotericis defensores Patris Suarez asserant, decretum illud liberum vere dependere ab extrinseco connotato; nam in sententia Patris Suarez, nulla perfectio diuina dicitur relationem, aut dependentiam à creaturis; quia cum omnis perfectio diuina sit deus, & sit de fide, Deum omnino esse independentem, non potest concedi dependentiam aliqua, quia omnis independentia, seu omnimoda independentia, quæ

idem

idem sunt, quia synonyma sunt non comparatur cum dependentia aliqua. Sicut omniscientia dei non comparatur cum insipientia, aut inscitia aliqua & sanctitas divina cum aliqua malitia, nam omne excludit aliquid non: sed aliqua inscitia est aliqua non scientia: ergo non comparatur cum omniscientia. Sicut omnipotentia excludit aliquam impotentiam, quia est aliqua non potentia: Itaque in Deo quæcunque perfectio absoluta, quia est infinita simpliciter, & est perfectio simpliciter simplex, non est quomodocunque perfectio, sed omniperfectio in illo genere, unde misericordia est omnimiserericordia, & iustitia omni iustitia, & sanctitas omnisanctitas, & sapientia omnisapientia, sicut potentia non est quomodocunque potentia, sed omnipotentia, & filio est omnifiliatio, & paternitas omnipaternitas, licet non sint perfectiones absolute, eo quod sint imparticipatæ: sed independentia divina est perfectio simpliciter simplex, & absoluta: ergo est non quomodocunque independentia à creaturis, sed etiam omniindependentia ab illis: ergo excludit omnem dependentiam ab illis, ac proinde quæcunque dependentiam, & quæcunque non independentiam, sed dependentiam à creaturis tanquam à termino, & obiecto est per vos vera, & propria dependentia: ergo est aliqua non independentia: ergo evidenter sequitur, excludi à deo tanquam indignam ipso per omniindependentiam ipsius, sicut per omniscientiam excluditur aliqua, & quæcunque inscitia, & per omniindependentiam quæcunque non simplicitas seu compositio, nam oppositum in summo gradu increato perfectionis excludit quodcunque oppositum adhuc in remisso; unde, quia perfectio divina est omniperfectio, excludit quæcunque veram, etiam minimam imperfectionem, siue dicatur terminatiue, siue dicatur formaliter, siue quocunque nomine palliatur, & quocunque addito explicetur, dum tamen significetur per rationem imperfectionis: ergo omniindependentia divina excludit omnem, aliquam, & quæcunque dependentiam siue terminatiue, siue formaliter, siue quocunque nomine addito, & modo loquendi significetur, dum tamen relinquatur in ratione dependentia, quia impossibile est, ut simul respectu eiusdem detur omnis affirmatio alicuius, & simul aliqua non affirmatio, seu negatio eiusdem; quia sunt contradictoriæ, sed omniindependentia dei est affirmatio omnis independentia; atqui dependentia terminatiua est aliqua non independentia: ergo stante omniindependentia divina non potest verificari simul dependentia terminatiua à creaturis.

Præterea, quia comparata dependentia terminatiua cum omnimoda independentia, seu omni independentia perfectior est omni independentia, quæ dependentia terminatiua: ergo ab hac potius simpliciter, & absolute dependens, quam ab illa absolute independens debet nominari deus; quia licet habeat omnem independentiam formalem deficit illi independentia terminatiua: ergo deficit illi denominatio absoluta, & perfectissima independentis, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu; unde licet homo in anima rationali, & in materia prima habeat simpliciter, & absolutam incorruptibilitatem; quia tamen deficit illi in vnione incorruptibilitas, licet vnio sit minimum constitutum, & corruptibilitas in vnione sit minor, quam corruptibilitas in materia, & forma, nihilominus tamen, quia habet illam minorem corruptibilitatem, & deficit

illi incorruptibilitas in minimo constitutum, ac per consequens deficit ipsi minor incorruptibilitas; sed per vos licet habeat deus maiorem independentiam, habet tamen aliquam dependentiam, etiam si minor sit, scilicet à termino, ac proinde deficit illi independentia in illo genere: ergo absolute, ac simpliciter potius ab hac dependentia simpliciter, & absolute dependens debet dici, quam absolute independens propter illam independentiam, quandoquidem deficit illi aliqua independentia, scilicet à termino, præcipue; quia sicut dependentia à principio productio constituit rem dependentem in esse effectus in genere causæ efficientis, & principium in esse causæ, ita etiam dependentia rei à termino, seu obiecto constituit rem sic dependentem proprie in esse effectus causæ finalis, & ipsum terminum, seu obiectum in esse finalis causæ; quia dependentia est influxus, & influxus constituit causam; causa enim ut sic est quæ influit in effectum; unde si causa est productiva, dicitur efficiens, & si est principium influens informando, dicitur causa formalis; si influit recipiendo causa materialis, ac tandem si ut terminus, vel obiectum influit dicitur causa finalis: ergo si terminus influit in Deum, quia Deus dependet à termino, & dependentia est influxus, sine dubio terminus, vel obiectum erit causa finalis dei, ac proinde dependentia eius à termino erit dependentia à causa; sed dependentia à causa est simpliciter dependentia: ergo deus simpliciter, & absolute dependet, præsertim, quia nihil est, quod habeat in rigore causam finalem, quod etiam non habeat causam efficientem eiusdem esse; nam causa finalis datur, ut moveat causam efficientem, ad causandum effectum; cuius est causa finalis: ergo si deus habet dependentiam à causa finali, habebit etiam dependentiam à causa efficienti; unde non erit deus, sed creatura: ergo id, ex quo hæc absurda sequuntur, non est dicendum, & ideo omnes Theologi vestigiis Sanctorum Patrum insistentes, licet concedant, Deum facere aliquam creaturam, quæ habeat causam finalem, ordinando vnā creaturam ad aliam tanquam finem creaturæ ordinatæ; nihilominus absolute negant illam creaturam esse finem Dei, aut volitionis diuinæ, quia deus, ut in scriptura dicitur, formaliter non operatur propter creaturam; quia [propter semetipsum omnia operatus est Dominus:] ergo manifeste, & evidenter sequitur, nullam perfectionem diuinam dependere à connotato creato; quia omnis perfectio diuina est deus; sed actus liber Dei est perfectio intrinseca diuina; ergo actus liber dei nullo modo dependet à connotato creato; quod adeo verum est in sententia P. Suarez, ut ipse milles neget, non solum dependentiam, imo & relationem ad creaturas, quapropter, cum videret, omnipotentiam non posse intelligi, aut esse sine creaturis possibilibus, nullo modo concessit, aut relationem aut dependentiam respectu illarum, etiam si cognosceret, ut certe cognouit talem dependentiam respectu possibilium solum posse esse, tanquam à termino; unde purius loquens, concessit solum connexionem necessariam omnipotentia cum possibilibus: ergo fautores doctrinæ Parris Suarez, concedentes talem dependentiam, potius labefactant, destruunt, ac demoluntur doctrinam eximij doctoris, quam defendunt, protegant, aut tueantur ipsam.

Deinde sic argumentor cum Patre Herize, contra hos, nam quando ais, prædicatum illud intrinsecum pendere ab extrinseco connotato; vel ais pendere, ut re vera sit in Deo, vel tantum

ut prædicetur de eo: exempli gratia voluntas condendi mundum prædicatum intrinsecum Dei est pendens ab extrinseco connotato, & connotatum cum ipso; aut pendet ut sit, aut non pendet, ut sit in Deo? sed ut prædicetur ab aliquo de illo.

Si non primum sed secundum: ergo nec pendere potest, ut prædicetur; omne enim quod est in se, & independens in esse, potest ab intellectu id concipiente prædicari. Quis hoc dubitet? res enim non est, quia prædicatur, aut prædicabilis est; prædicari enim, aut prædicabilem esse, est intelligi, aut intelligibilem esse actu iudicii, ut ergo non quia res intelligitur, est; nec quia intelligibilis, sed è converso, quia est, intelligitur, & intelligibilis est; ita si prædicatum illud intrinsecum est in Deo independentem quoad esse à connotato extrinseco, etiam erit independens, ad hoc ut prædicetur, seu prædicabile sit, & sic poterit prædicari sine tali connotato.

Si autem primum dicatur, scilicet quod prædicatum illud intrinsecum connotatur cum connotato extrinseco, & dependeat ab illo non solum quoad prædicari, sed etiam quoad esse: ergo ablato connotato extrinseco, vel deficiente, deficiet etiam, & auferetur vere, & realiter entitas, & esse illius prædicati: patet consequentia evidenter ex doctrina Patris Suarez quam isti defendunt, nam ideo ablati creaturis possibilibus, auferuntur, & destructis illis destruitur non solum quoad denominationem, ut Pater Vazquez contendebat, sed etiam quoad entitatem, & esse intrinsecum omnipotentia Dei, & de primo ad ultimum Deus ipse, qui est idem cum omnipotentia; quia omni potentia dependet à possibilibus per vos, & connotatur cum illis, ut ait Pater Suarez, non solum quoad nomen omnipotentia, sed etiam quoad esse intrinsecum illius; nam res formalissime, & essentialiter dependens ab alia quoad esse nullo modo potest esse, aut intelligi sine illa; unde ablato Deo, auferrentur omnes creaturæ; quia quoad esse dependent à Deo, & ablati anima rationali à Petro, statim definit esse Petrus, quia dependet in esse ab anima rationali: sed per vos actus liber Dei, seu intrinsecum prædicatum decreti Dei vere dependet, ut sit, & quoad esse à creatura existenti, vel futura, seu à connotato creato: ergo quando destruitur connotatum creatum, ut quotidie destruitur, destruetur sine dubio esse decreti liberi, ac per consequens ipse deus, qui identificatur cum illo; hoc est falsum, & aperte contra fidem, ergo falsum omnino est dicere, decretum liberum dependere à connotato extrinseco quoad esse ac proinde solutio innitens tali dependentia à connotato nullius valoris est.

Deinde ipse Pater Suarez admittit electionem absolutam ad gloriam ante merita prævisa per hæc numero auxilia, & merita, quibus tantam gloriam comparavit; illa vero electio libera est, & connotat hæc auxilia numero hæc merita, hanc gloriam. Verum non negat, nec negare potest, ut probavi tract. de prædestinatione in hac quæst. non esse necessariam causam electionem absolutam, ut Deus conferat omnia hæc; sed sufficere actum inefficacem simplicis complacentia: ergo admittit duos actus liberos distinctos cum eisdem connotatis: ergo tunc novitas actus liberi non ex novo connotato, sed ex nova entitate desumenda erit, eadem efficeretur difficultas, si

Deus ob diversos fines crearet hominem, diversi enim essent actus liberi; idem autem connotatum nempe eadem creatio, quæ non variaretur in entitate ex fine extrinseco: ergo Suarez sententia non potest defendi ex vi connotati.

SECTIO X.

Caietani sententia impugnatur.

Quia actus liber Dei in sententia Caietani est perfectio intrinsecè existens in Deo & ex alio capite posset non existere in Deo à parte rei formaliter: ergo potest separari à parte rei formaliter actus liber Dei ab ipso Deo; sed ea quæ possunt separari à parte rei per existentiam unius, & definitionem alterius, ita ut uno existente, definat alterum, distinguuntur realiter: ergo actus liber Dei, & Deus ipse realiter distinguuntur; sed quæ distinguuntur realiter unum non est aliud, à quo distinguuntur: ergo actus liber Dei non est Deus, à quo distinguuntur: ergo est creatura. Patet evidenter consequentia; quia omne ens reale dividitur adæquate, & immediate in ens creatum, & increatum, seu in Deum, & creaturam; sed actus liber Dei, qui ens reale est, non est Deus per vos: ergo per vos debet esse alterum membrum divisionis scilicet creatura; sed ab æterno ut supra latissime demonstravimus, actu est præsens & existens decretum liberum Dei: ergo ab æterno est actu præsens, & existens aliqua creatura, seu actu extitit, & præsens fuit; atqui hoc est hæreticum, ut aperte definitur capite firmiter, de summa Trinitatis, & fide catholicæ, ibi: [Creator omnium visibilium, & invisibilium, spirituum, & corporalium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spirituales, & corporales, Angelicam videlicet, & mundanam; ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.] Quod dogma fidei definitum Concilio Lateranensi fundatur in his verbis *Genes. 1.* [in principio creavit Deus cælum, & terram &c.] ubi decernitur tanquam certum de fide; nullam creaturam ab æterno extitisse sed omnem in principio temporis productam esse, quod docebat D. Augustinus contra Arium, qui diabolico instinctu, & ausu temerario duo asserbat, scilicet Verbum divinum esse creaturam, ac proinde minorem Patri; & ex alio capite docebat ab æterno fuisse coæternum Patri. Quibus auditis D. Augustinus ex loco nuper citato *Genes. 1.* sic arguebat contra hunc hæreticam; ex hoc loco sacra scriptura constat de fide esse, nullam creaturam fuisse ab æterno; sed in principio temporis omnem esse conditam; sed per te Verbum divinum est ab æterno, & coæternum Patri: ergo Verbum divinum non est creatura; quare aut dicendum tibi est, Verbum divinum non esse creaturam, aut si est creatura, non fuisse ab æterno, sed in tempore: si ergo & esse creaturam asseris, & simul doces ab æterno esse, aperte implicaris in terminis, & pugnantia loqueris; cum admittas, ut admittere debes veritatem fidei contentam illis verbis *capitis primi Genes. 1.* [in principio creavit &c. Deus cælum, & terram;] ubi docetur aperte, omnem creaturam, nulla excepta, temporalem, & non æternam fuisse.

Ego